PRAEFATIO.

ALLOBROGES,quorum Liuius ait Viennam caput eſſe vrbẽ antiquiſſimam totius Galliȩ,relicto pridem veteri nomine Delphinates nunc quoque appellantur. Et ante Liuium Geneuam eſſe Allobrogum oppidum Cæſar in Cõmentariis de bello Gallico retulit. Sabaudi autem ſunt Delphinatibus confines populi, per quorum agros Iſara & Rhodanus clari amnes fluunt. Per eam gentẽ itur ad Ceniſium montem qui Galliam ab Italia diuidit, ſed tranſeunda eſt vallis Mauriana, ibique Diui Ioãnis antiquũ oppidũ Epiſcopatu illuſtre qui adhuc

Viennenſi paret. Antiquum autem eſſe neceſſe eſt cùm Maurianenſis Epiſcopi Gregorius Turonenſis Hiſtoricus ante annos mille mentionem faciat. Quibus regionibus vulgo tribuitur Sabaudiæ nomen, quod recentiùs ideò putamus, quia à nullo veteri hiſtorico vſurpatum conſtat. Sabaudia verò vel Sapaudia (vt habet Chronicon Proſperi Tyronis Aquitanici) propriè ſumpta porrigitur ab Iſara ad radices Catti Mōtis, in qua duæ ſunt vrbes Melianum & Camberinum: ſed nunc in vſu eſt vt extranei potiùs quàm indigenæ partē pro toto vſurpare ſoleāt, & Sabaudiam vocent omnes Alpinas gentes ſub ditione Ducis poſitas.

BERALDVS.

BERALDVS nobiliſſimo apud Saxones natus loco, atque ad Othones genus referens, cum Boſo Arelatẽſium Rex à Liguribus bello vexaretur, iſque à Cæſare auxiliũ peteret, aduerſus eos mittitur. Pacata verò prouincia, & repreſſis hoſtiũ conatib⁹ Boſo ſine liberis deceſſit, vt Sabaudienſium annales habent. Nec quærendum quàm veri in tradenda Principũ ſuorum origine. Cęterarum enim gentiũ hiſtorię hac in parte fabuloſę ſunt. At Beraldus conſentientibus poſtea Alpinis populis Manfredũ Marchionem Secuſij bello vicit. Secuſium eſt oppidum ad radices Alpium ſitum qua Italiam attingunt. Manfredo filia erat Adaelgida teneræ admodũ ætatis puella quæ Amedeo nepoti nuptũ collocatur.

Hãc & Adilam appellari in vetuſtiſſimis tabulis video. Vmbertũ verò ex Hynna Scirenſi in Saxonia genitum vetuſti annales referunt. Hiſque & multis aliis rebus pręclarè geſtis Berald⁹ obiit, anno milleſimo viceſimo tertio. Sepultus vt fama eſt iuxta templũ D. Honorati Arelatenſis, quæ vrbs ad Rhodanum flumen in Prouincia Galliæ poſita eſt, vbi adhuc vrna marmorea cum duabus aquilis viſitur. Ac plura quidem de eo narrantur, quę niſi excederẽt modum, fideque indigna viderentur referenda putarem: ſed nolo fabulas rebus geſtis permiſcere, ne veram hiſtoriam narrationemq; factorum, quæ mendaciis obrui ſolet, quaſi veneno inficiam.

VMBERTVS PRIMVS.

HIC parentis ſui fortiſſimi viri imperium procul à patria ſequut⁹, apud Saxones enim natus erat, res ſuas tamẽ optimè geſſit, vtque Beraldum patrem Boſoni Regi cui ſuberat obſequium præſtitiſſe narrauimus, ſic Vmbertum referre neceſſe eſt, Rodulpho propinquo & ſucceſſori ei⁹ paruiſſe, vt Comitẽ decebat, quanquã parum ſub illi⁹ imperio fuit; ſi quidem anno milleſimo triceſimo tertio mortuus ab hiſtoricis traditur. Anciliam autem Vmbertus in matrimonio habuit, vt in Amedeo mox referam, etſi qui parentes eius fuerint nullus hiſtoricorum tradit: ſuſcepitque ex ea filium paternarum virtutum imitatorem, ſolidęq; virtutis & gloriæ amãtiſſimum, ipſe ve-

rò exceſſit è viuis in agro Maurianenſi loco cui nomen eſt Hermiliani, & in veſtibulo templi D. Ioannis apud Maurianam, vrbem ſepulturæ traditur, vbi marmoreum eius tumulũ viſere licet. Obijt autem anno Chriſti milleſimo quadrageſimo octauo.

AME-

AMEDEVS PRIMVS.

SECVSII tráſalpes natus Amedeus Vmberti filius verè Italus dici poteſt, ſubalpina enim regio Pado fluuio irrigua pars quædam Italiæ & amœna & opulenta ſine dubio eſt. Vxorio iure Secuſium potiꝰ quàm aui victoria ad eum pertinebat. Etenim ei nupſit Adila Manfredi filia, ex qua Vmbertum ſecundum auo cognominem genuit. Nota quidem eius pietas fuit. Aſtenſem enim Epiſcopum patriæ ſuæ vicinum & pulſum à ciuibus legitimę ſedi vltro reſtituit. Sed pręſtat Amedei pietatem pluribus exponere, anno enim Domini milleſimo triceſimo, vndecimo Calendas Nouembres, regni Rodulphi Regis triceſimo ſexto, Amedeus filius Vmberti & Adaelgida vxor donationem fecerunt Eccleſiæ ſancti

Mauritij, quæ eſt in pago Maltacena, id eſt Burgeti. Sic enim hodiè appellatur ad honorẽ Dei & Eccleſię ſanctorum Petri & Pauli Cluniacenſis monaſterij, cui tunc pręerat Odilo, confirmante Epiſcopo Gratianopolitano, & omnibus canonicis eiuſdem ciuitatis, adiicientes clauſulam comminationis aduerſus eũ qui donationem illam irritam volet, vt mulctam pecuniariam centum librarum auri in aula regia ſoluat; vtq; odiũ & diras Gratianopolitani Epiſcopi incurrat, in cuius epiſcopatu eo laudante & ratum habẽte donatio facta eſt, quę cõfirmatur ſignis Vmberti Comitis & Ancilię vxoris eius, Amedei Comitis & Adilę vxoris eius, quam monuimus initio donationis Adalgidã vocari, vt binomiam fuiſſe mecum opinari debeas. Et quia donationem illam ſigno quoque Regio muniri petierãt, vltima verba illius ſunt: Signum Rodulphi Regis, ſignum Reginæ Eringardis. Parebant

igitur imperio Rodulphi Vmbertus & Amedeus, hic adhuc filiusfamilias, vterque tamẽ Comitis nomine & dignitate illuſtris, quodque diligẽter notandũ eſt, neque Sabaudiæ, neque Maurianæ, ſed purè & ſimpliciter Comites appellabãtur, prędia verò & latifundia quæ D. Mauritij templo donat, propria fuiſſe Amedei patriſque eius neceſſe eſt. Hactenus ex tabulis donationis ipſius de Vmberto, deque Amedeo retulimus. Porro Odilonem Cluniacẽſem vixiſſe Roberti Regis Gallię tẽporibus ex epiſtolis Fulberti Carnutũ Epiſcopi nuper Lutetiæ, vbi habito, opera mea excuſis, qui ad eum Regem ſcribit, manifeſtum eſt, vixitque Odilo ad annũ milleſimũ quadrageſimum octauum, vt Sigibertus narrat, cui ſucceſſiſſe Hugonem ait. Amedeus autẽ ſupremis tabulis mãdauit, ne Secuſij in patria vxoris etſi chariſſimę, neue alibi vſquam conderetur quàm iuxta Vmbertum patrem: itaq;

pro foribus templi Maurianenſis magna pompa,concurſuque nobilium virorum funerat⁹ eſt anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto,aut non multo poſt. At hoc dolemus,inſcriptioně ſepulchro eius & Vmberti primi aut nullam fuiſſe appoſitam,aut malignè deraſam, vt veſtigia oſtendere dicuntur,ne annum & diē mortis poſteritas certo ſciret, neue quos titulos hi principes prętulerint ex ipſis agnoſceret.

VM-

VMBERTVS SECVNDVS

ILLVD ipſum Maurianę oppidum Vmberti ſecundi patria fuit. Atilli poſtea Venuſinus Comes apud Carpentoractum veterē coloniam Laurentiam Ægidiamue filiam nuptum dedit: ex ea procreati ſunt Amedeus deſtinat⁹ hæres & Adela, quę vbi adoleuit facie eximia & decora vultu virtutiſq; nomine Regi Francorum Ludouico Craſſo adeò grata fuit, vt eā tandem ſibi diuinæ & humanæ domus ſociam fieri voluerit. Hugo Tricaſſium Comes pręferri optabat Bonifacij Marchionis filiam. Rex ipſe velle videbatur neptē Flandrenſis Comitiſſæ, vt ex duab⁹ Epiſtolis Iuonis doctiſſimi Carnutū Epiſcopi manifeſtū eſt, quæ nuper Lutetiæ in lucem editæ ſunt. Huic Adelæ nomen quod proprium auiæ fuerat,

ex qua Craſſo multi liberi,& inter cęteros Ludouicus ſeptimus patris regnum ſceptraque obtinuit. Adela verò mater eorũ ſita eſt in æde Virginũ quæ eſt in sũmo colle Mercurij monte,nũc Martyrum extra Lutetiam Pariſiorum, in ſiniſtra chori parte,vbi tumul⁹ eius ſine inſcriptione & ſtatua viſitur. Ad Vmbertum redeo, Tarẽtaſios qui Centrones veteribus fuiſſe exiſtimantur,quod in confinio Maurianenſium eſſent,ſuæ ditionis faciẽdos exiſtimauit, coactiſq; complurib⁹ militum numeris Brianſonium oppidum expugnatum ijt, fugatis iis qui tunc Tarẽtaſiis præerãt. Hæc erat Innocẽtij quinti Pontificis Romani & doctiſſimi Theologi patria. Quod verò quidam tradunt eum ad Hieroſolymitanum bellum vnà cum Gothofredo Lotharingiæ Duce,aliiſq; procerib⁹,anno 1095.profectũ,parũ veriſimile eſt,quãdo in catalogo eorũ qui apud Tyrium ſacri belli ſcriptoré ad id bel-

lum profecti referuntur, nulla eius mẽtio fit; vbi tamen non præterijt Arauſienſem Epiſcopum & Forenſium Comitem, qui admodum vicini Sabaudiæ fuere: dein exceſſit è vita anno milleſimo centeſimo decimo quinto; ac ſepelitur in ea ipſa regione quam militari manu egregiaq; virtute ſuam feciſſet, conditus enim eſt in templo à Camberino diſtanti decem & octo paſſuum millibus, videlicet D. Petri apud Muſterum Metropolim Tarentaſiorũ; Archiepiſcopo enim illius vrbis ſubſunt Epiſcopi duo, eique parent Sedunenſis & Auguſtæ Prætoriæ; vnde qui imperarunt reliquæ Sabaudiæ, Duces quoq; nõ multo poſt appellari cœperũt. Sunt autem in Sabaudia duo Epiſcopatus, quos hodie Duces poſſident, Maurianenſis in ſterili regione qui ſubeſt Viẽnenſi, & Bellicenſis qui Veſuntino. In Italia verò Archiepiſcopatum Taurinenſem Epiſcopatus Niciæ, Mõtis Re-

gij, Aſtæ, Vercellarũ, Eporediæ, & Auguſtæ, etſi hic Tarentaſienſem reſpicit, ad Duces quoque pertinere manifeſtũ eſt, Geneuenſem excipio qui Viẽnenſi ſuperiori deferebat antequã Geneua rebellionẽ Domino feciſſet. Nec de Lauſanenſi loquor qui Veſuntino ſuberat. His temporibus inter Comitem Gebẽnenſem & Conradum Ducem magnæ diſſenſiones atque odium exortum eſt, ſic vt Conradus non modò bellum, ſed exitiũ quoque ei minaretur. Diuus Bernardus pro Comite Gebennenſi, quem tamen nõ nominat, apud hoſtem intercedit miſſis ad eum Legatis ſuis & epiſtola in hæc verba: *Omnis poteſtas ab ipſo eſt cui dicit Propheta. Tua eſt potentia, tuũ regnum domine: tu es ſuper omnes gentes. Hinc ergo dignum duxi tuam, ô Illuſtris Princeps, commonere excellentiam: quantũ te oporteat deferre terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum. Comes Gebennenſis, vt accepimus per os eius, ad iuſtitiam ſe ob-*

tulit, & offert de omnibus quæ te dicis habere aduerſus eum. Si ſuper hoc alienã pergis inuadere terram, Eccleſias deſtruere, incendere domos, exulare pauperes, homicidia perpetrare, & humanum fundere ſanguinẽ: non eſt dubium quin grauiter irrites aduerſum te patrem orphanorum, & iudicem viduarum. Eo certè irato non expedit tibi dimicare in quantalibet multitudine vel fortitudine. Nihil enim intererit apud omnipotentem Dominum Sabaoth in multis an in paucis cui volet dare victoriam, ipſe nimirum cum voluit fecit vt vnus mille, & duo fugarent decem millia. Hæc pauper ego pauperum permotus clamoribus, tuæ magnificentiæ ſcribere volui, ſciens tibi honorificẽtius humilibus conſentire, quàm hoſtibus cedere. Non quòd putem hoſtẽ te fortiorem, ſed quod nouerim Deum omnipotẽtem potentiorem, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Huius rei gratia tuam vir nobilis præſentiam adiiſſem ſi licuiſſet. Nunc autẽ pro me hos de fratribus noſtris

deſtinare curaui, ſi fortè ſuis & noſtris precibus à tua dignatione obtineant vel perfectam concordiam ſi fieri poteſt, aut certe inducias vſque dum liceat nobis firmam quærere pacem, ad Dei voluntatem, & honorem tuũ, & patriæ ſalutem. Alioquin ſi nec oblatam iuſtitiam recipis, nec nos precantes reſpicis, imò Deum in nobis de tua te ſalute commonentem non attendis, videat ipſe & iudicet. Scimus autem quòd merito formidamus difficile poſſe congredi tantos exercitus abſque vtriuſque partis grauiſſima ſtrage.

AME-

AMEDEVS SECVNDVS.

MELIANVM eſt oppidum Sabaudiæ in cliuo montis ſitũ ad ripas Iſaræ amnis, vnde deſpectus eſt in ſubiectum fluuium, & in agros, proximaſque ſyluas, vbi Amedeus natus eſt; qui vbi adoleuit Comitis Albonenſis apud Allobroges filiam duxit, ex qua ſuſcepit Vmbertũ, alioſque liberos. Accidit vt ſit abſente eo & profecto ad Taurinos, vt Geneueſij Comes in Sabaudiam excurrens cuncta obuia popularetur, certior factus calamitatis ſubditis ſuis illatæ illico reuertitur, coactoque exercitu recta in hoſtem pergit, ille cum magnis copiis occurrit, pugnatumque eſt vtrinque acerrimè ad fabricarum montem: tandem victoria Amedei fuit, id munus ſoli Deo acce-

ptum referens, Monaſterium ædificari iuſſit in loco cui Stamedeo vetus nomẽ eſſet vbi Ciſtercienſis ordinis monachi verſantur. In Hoſtes Chriſtianorum poſtea parantibus arma finitimis regibus ipſe Conrado Ceſari, & ſororis filio Ludouico Francorum Regi affuit, atque in reditu prope Nicoſiam Cypri anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo vita functus in monaſterio crucis conditus iacet. Itaque Amedeo vt extra patriam ſepeliretur, omniũ ſucceſſorum qui adhuc fuerunt primo adhuc cõtigit. Otho Friſingenſis Taurinorum Marchionem eum vocat. Extat Epiſtola Petri Cluniacenſium ſapiẽtiſſimi Abbatis ad Amedeum, vt ipſe ait nobiliſſimum Principem, Comitem, & Marchionem, Ludouici Regis Francorum mentionem faciens, cuius auunculum fuiſſe Amedeum agnoſcit, etſi patruum impropriè vocat, Epiſtolamque illam Sabaudiæ Principes magni æſti-

mare debent;ad magnitudinem enim eorum & gloriam pertinet. Cuius verba ſunt huiuſmodi. NOBILISSIMO *Principi & chariſſimo amico noſtro,* Domino *Amedeo Comiti & Marchioni Frater Petrus humilis Cluniacenſium* Ab-*bas: ſalutem & æterni participium principatus. Glorioſus Rex Francorum Ludouicus, & ante miſerat, & nunc iterum nobis miſit nuncios ſuos: quos & vobis dirigi, & per manum noſtram, quod à vobis petierint impleri rogauit. Qui quamuis per ſeipſum, vt pote, inſignis flos, & præfulgidum germinis veſtri ſydus: cuncta quæ voluerit, apud vos debeat obtinere: quia tamen me precum ſuarum mediatorem elegit rogo vt ſicut ipſe hoc per me petendo, efficacius ſe impetrare confidit: ita vos largiendo, non fruſtra eum iſtud ſperaſſe monſtretis. Cumq; ipſe ſuperna gratia & regni terminos penè duplicãdo, & iuueniles annos virtutibus adornando, ſumma veſtri generis gloria ſit: non debet aliquam in precibus ſuis pati repulſam,*

cui & regia magnitudo, & ſanguinis cõmunio cuncta de vobis ſperare ſuadent. Et cum deriuato à patre nomine patruus dicamini: decet vos & eius regno conſulere, & ipſi vt filio in omnibus prouidere. Quod vtrumque ſimul implebitis: ſi eũ in prǽſenti negotio audieritis. Sed nolui illud his quas mitto litteris inſerere: quia plenius id ab ore nunciantis, quàm à manu ſcribẽtis accipere poteritis. Hoc poſtquam agnoueritis, quod tamen & iam audiſtis: oro ne innocenti puero patrum peccata, ne Reginæ vel regalium aulicorum veteres forſitam culpæ, nouo Regi noceant: quia iuxta diuinam Prophetæ ſententiam, Non portabit filius iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Date operam quoc & facere præ cunctis mortalib⁹ natura ipſa compellente debetis: profectibus & honor. ipſius. Quoniã & in profectu eius vos proficere, & honorem ipſius: vobis, vt credo, gloriam parere ſentietis.

VMBERTVS TERTIVS.

HOC præclarum aui ſui nomen Vmbertus tertius ſecum attulit; natus Auellianæ quod oppidum Italiam petentibus ſtatim ab Alpium deſcēſu occurrit. Tutorem ei pater moriens reliquerat virum ſanctiſſimum Amedeum nomine, Lauſanenſis populi Antiſtitē, quæ vrbs ad lacum Lemanum ſita eſt, nec à Geneua multùm diſtat. Igitur tutoris opera virtutem didicit, paternæque gloriæ imitator deinceps fuit; Guigonem Craſſum pater eius Allobrogũ Principem finitimæ gentis vicerat, filiumque eius cognominem in acie ad Melianum oppidum iuxta Iſaram flumen mortiferè vulnerarat; vnde Buxeriam relatus deceſſit anno Domini mil.

leſimo centeſimo quadrageſimo, & Gratianopoli ſepelitur vrbe appoſita eidem amni. Eius filius Guigo tertius vlciſci cupiens paternam necem arma in Vmbertum ſumit, qui paternæ virtutis memoria excitatus, fortiter occurrēs hoſti, eum fudit, fugatque. Alexandri tertij Romani Pontificis partes ſequut⁹ dicitur aduerſus Fredericum primum, qui Oenobarbus fuit. Cæterùm non impunè, nam ferox hoſtis & barbarus locum eius natalem vaſtat, progreſſuſque ad radices Alpium Secuſium penè excindit. Cùm autem haberet in matrimonio Beatricem Stephani Comitis Burgundiæ filiam, ex eaque ſuſcepiſſet Thomam, & Eleonoram liberos, moritur Camberini. Ea vrbs nondum primas tenebat inter Sabaudię vrbes, nunc excellit, præſtatque cæteris, & Gratianopolitanum Epiſcopum agnoſcit, eique paret in ſacris & diuinis myſteriis. Viſitur autem Altæcombæ in

clauſtris ſacelliq; veſtibulo ſtatua, Vmberti tertij toga inſignis. Id enim monaſterium Ciſterciẽſi ordini in ripa lacus Burgetij ædificari iuſſit, redditibuſque annuis dotauit, quod quidem in diœceſi Geneuenſi nota vrbe poſitum eſt. Porro is lacus omni optimorum piſcium genere affluens, porrigitur in longitudinem ad octo millia paſſuum, in latitudinem verò ad duo. Altecombæ autem monaſterium prope & ad radices Catti excelſi montis Diuæ Virgini dicatum ab Vmberto, vt dixi, conſtructum eſt, ſecuto voluntatẽ & arbitrium Amedei patris qui veteris Altecombæ Monachos Diui Baſilij ordini Ciſtercienſi iungere optabat, & nouam vtriſque domum condere. Lacum autẽ illum Caſtellionenſem olim vocabant à Caſtello quod adhuc in altera ripa viſitur, nunc Burgetij nomẽ habet. Id oppidulum in ripa è regione poſita cernitur. Et quæ extant apud Bernardum

epiſtolæ Alpenſibus monachis ordinis ſui veriſimile eſt ad alumnos Altæcombæ ſcriptas. ſic enim ait, verum opus feciſtis, & omnes mirantur quòd cùm ſancti eſſetis non reputantes veſtrã ſanctitatem alienam participare curaſtis vt eſſetis ſanctiores. Nec Vmberti tertij ſepulchrum ſolum ibi viſitur, ſed omnium ferè ſucceſſorum eius, vt infra dicam, & locus ille eſt à Camberino celebri vrbe Sabaudiæ non longè diſſitus; diſtat enim ab ea duodecim ferè paſſuum millibus, ſed à Bellicio Epiſcopali ſede ſex tantum. Nec prætereo apud Allonenſes Carthuſianos in donationis inſtrumento, illos enim inſtituit, legi hãc inſcriptionẽ. VMBERTVS COMES MAVRIANENSIS ET MARCHIO ITALIÆ. Secuſij enim Marchio erat, quod oppidũ trãſalpes euntibus in militani via ſtatim occurrit, aut Taurinorum, vt ex Othone ſuprà diximꝰ, hic verò obijt anno milleſimo ducenteſimo quarto.

VMBERTVS TERTIVS, MAVR. COMES.

CVM effigiem lapideam Vmberti tertij, & monumentum eius Altęcombæ in Clauſtris aſpicio, nefas puto fuiſſe temporibus illis, id eſt anno à partu Virginis milleſimo ducenteſimo altero, quo deceſſit, conditusque eſt, in templo proximo quemquam ſepeliri, aut ſi quidem licebat, ne humano cadauere religioſiſſimus locus forſitan pollueretur, ob pietatem in Deum vetuiſſe, mortuum ſe eo inferri ſubmiſſa illi cæſaries fuit, ceruicem ipsā temporaque, & aures obtegens, necnō ab imo nonnihil reflexa, facies rugis exarata, naſus decenter compoſitus,

mentum nudum, obſeraſam barbam more illius ſęculi, chlamide veſteq; lõga tectum corpus, calcei pars ſuperior ſemiaperta, & leo generoſum animal pedibus eius ſuppoſitus videtur; eũ autem Amedeus ſecundus, Mauriennæ Comes genuerat, quem pietatis ſtudio maximopere deditum fuiſſe literarum monimentis proditum eſt. Paterno igitur & domeſtico exemplo Humbertus filius Alpinas gẽtes pacificè rexit, cumque ex duabus vxoribus nullos ſuperſtites liberos haberet, & iam in gratiam monachorum Ciſtercienſis ordinis Altamcombam præclarum monaſterium ædificari curaſſet, nec videretur ampli⁹ de ſobole ſuſcipienda eſſe ſollicitus, maximis continuatiſque ſubditorum & clientium precibus adducitur, vt tertiam vxorem ducat, ex quibus nuptiis Thomas illi heres filiuſque ſumma omnium lætitia natus eſt, quod ſingulare Dei immortalis beneficium fuit.

Thoma enim genito ipſum rerum & fortunarum ſuarum heredem reliquit In tumulo autem eius nulla quidem inſcriptio eſt,ſed conditorem monaſterij illius,templique & ædificiorum,tabulæ veteres produnt,& fama permanus tradita poſteros ſic loqui docuit,nec prætermittendũ puto, quia dignũ memoria viſum eſt, quinque paſſibus à ſepulchro eius diſtare altiſſimum puteum,ad cuius aquas excipiendas appoſitus eſt longiſſimus lapis excauatus, in cuius ſuperficie inſcriptio huiuſmodi capitalibus litteris inciſa legitur AVGVSTO SACRVM C. F. L. VOLTIN. SABINVS, quem aliunde deportatum in ſolitudinem illam veriſimile eſt, & patriam quidem Lucij Voltinij qui id in gratiam Augusti fieri curauit lapis ipſe ſuggerit,Sabinum enim fuiſſe legimus, & Sabinos non procul ab vrbe poſitos certiſſimũ eſt: (niſi (Sabinus) forte cognomen ſignificat,vt cùm apud Cæſa-

rem legimus lib. 3. de bello ciuili Q. Sabinum, & Caluiſium Sabinum. Cæterum neſcio quo fato lapis ille in ſeruilem vſum tranſiit, indecorum enim id videri debuit propter vetuſtatis memoriam, niſi pietas ipſa mortalium plerumque deſiperet.

AME-

TERGEMINORVM FRATRVM BREVIS HISTORIA AD pedes Humberti III. iacentium.

DE TERGEMINIS fratribus Altęcombæ ad lacum Burgitem ſepultis, ignotam, vt opinor, hiſtoriam mandare literis, & poſteros omnes in admirationem rapere mihi propoſitum eſt. Igitur ex familia Claromontana quam Viennenſes cæterique Delphinates colunt, ſummo genere nati Guillelmus, Amedeus, & Sybuetus fratres, decoro perſimilique vultu, capillo pone occipitium promiſſiore, vt ceruicem, temporaq;, & aures obtegeret, vtque ætas illa ferebat raſa barba, & ſua quiſque in veſte domeſtica, etſi elingues & muti erant natura, maximo tamen amore, & charitate ſe

mutua proſequebantur: quod domi & ſimul ſemper viuerent, & nutibus inter ſe ſoli colloquerentur. Communi autem conſenſu cùm de exitu vitę cogitarét, viſum eſt vnum tergeminis ſepulchrum habere, idque Altæcombæ religioſiſſimo tunc loco elegerũt, quo ducti religionis & pietatis cauſa à parentibus ſemel fuiſſent, defuncti tandem ſunt, atque vt mandauerant conditi, nec diu alius poſt alium vixêre; quod deſiderium è vita abeuntium ſola recordatio gigneret expectationem mortis, re ipſa moleſtiorem putãs exequiarum & funeris impenſa ab agnatis piè facta, pergrandi latoque lapide teguntur, qui ſingulorum effigiem ea qua diximus forma pulchrè inciſam habet. Medius iacet Guillelmus maximus natu, & ita rem habere ſol fulgentibus radiis capiti eius ſuperimpoſitus ſignificare videtur, qui & manib⁹ paſſis circa pectus inſpicitur. Dextrum ſiniſtrumque latus

occupant fratres iunctis in cœlum manibus, & luna quæ ſiniſtrum tenenti imminet ſecũdo genitum indicat fuiſſe Amedeum, vt & manus ex aëre ſe proferens Sybuetum iuniorem demõſtrat, porro inſigna familiæ vnde agnoſcerentur bina tumulo quoque ſunt inciſa, quibus gens Claromontana his quoque temporibus vti dicitur, ea in ſcuto geminas claues inſculptas habet. Muti autem Sarrani adhuc vocantur tres illi fratres à monachis Altæcombæ Ciſterciẽſis ordinis, & ratio eſt quòd apud Sarram Viennenſis agri multa prædia donarunt, vnde ampli redditus quotannis adhuc percipiuntur, indicium voluntatis ſolo nutu detegentes; litteras enim ſcire muti non poterant quos ſurdos fuiſſe etiam neceſſe eſt. Epitaphium verò tergeminorum in marginem lapidis illius maiuſculis litteris inciſum hîc adiiciam ſine die & conſule: HIC IACENT TRES FRATRES DE

ROMONTE GVILLELMVS AMEDEVS, ET SYBVETVS QVORVM ANIMÆ REQVIESCANT IN PACE. Deceſſiſſe tamen eos trecentis ab hinc annis ſuſpicor, qua ætate nondum quiſquam intra templum illud, ſed in clauſtris, & in circuitu eius extrorſus humabatur ad pedes Humberti tertij Comitis Sabaudiæ.

THO-

THOMAS PRIMVS.

MENSE Maio totius anni gratiſſimo mortalium generi in arce Carbonaria, vbi fons mirabilis ſe exerere conſpicitur, Thomas natus eſt anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Hic patris hæres relictus, rogatuſq; eſt Bonifacius Marchio Mõtisferrati, vt ſe pro tutore eius gereret. Adultus poſtea matrimonium cum Beatrice iniit Aymonis Comitis Geneueſij filia, ex qua Amedeum, Thomam, Philippum, Bonifacium reliquit, & Beatricem Thomæ ſororẽ in matrimonio habebat Raimundus Prouinciæ Comes, qui Maſſilia à ſuis pulſus ad Thomam confugit, & cum eo reliquũ vitæ tempus egit. Is ſuſceperat alias quidem filias quæ Regibus nupſerant; reſtabat

Beatrix.Hæc mortuo patre ſola innupta erat, Carolo fratre Ludouici noni eam petēte. Conſenſit Thomas id matrimonium fieri vt Ioānes Ionuilla nobilis illius ætatis hiſtoricus narrat capite decimo quarto & decimo quinto rerum à Ludouico geſtarum, etſi nomen non exprimit, ſed Sabaudiæ Comitis cōſenſu factas eſſe nuptias dicit poſt mortem Raimundi Berengarij. De quo & filiabus eius Dantes Italicus Poëta elegāter ait:

Quatro figliæ hebbe, & ciaſcuna Reyna,
Raymundo Berinchieri.

Camberinum vrbem arce in ea nobili exędificata primariam Sabaudiæ ſedem in poſterum eſſe voluit. Ipſe verò Auguſtæ Prætoriæ fato functus eſt, in eiuſque vrbis maximo Templo iacet, vbi marmorea ei ſtatua locata eſt menſe Maio anni milleſimi ducenteſimi triceſimi tertij. Idē in publico inſtrumento quod anno milleſimo cēteſimo octua-

geſimo octauo menſe Maio Aquæbellæ confectum eſt, Dei gratia Comitem Maurianenſem & Italiæ Marchionem ſe nuncupat, id eſt cuſtodem Italici limitis. Aliis quoque tabulis anno milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, quibus donationes factas à patre Vmberto Maurianenſi Comite, Carthuſianorum Allonẽſi familię confirmat, ipſe ſe Maurianenſem Comitem & in Italia Marchionem prędicat.

BONIFACIVS ARCHIEPISCOPVS, THOMÆ PRIMI Sabaudiæ Comitis Filius.

SI nobilitas generis, & innocentia perpetua vitæ fœlicitate in aliquo perſpecta, magno vſui eſt laudare mortuum cupienti, Bonifaciũ Thomæ primi Sabaudiæ incliti Comitis filium fuiſſe prædico, ſimul auunculum quatuor Reginarum ex Beatrice Sorore à Berengario Prouincialiũ Comite genitarum, quæ illi & agnatis immortalitatẽ peperere. Tantarum enim virium eſt fortuna, vt humanis in rebus omnia poſſe videatur. Cæterum aliis omiſſis Leonora neptis nupſerat Henrico Anglorum regi, in cuius gratiam cariſſimæ vxoris commendatione, Bonifacius Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui

eſt illius regni ampliſſimus, nomine & honore afficitur. Erat Iuris & Theologię peritus, ob quas virtutes (nã illę plurimũ quoque potuere) anno milleſimo ducẽteſimo quadrageſimo facillime promotus eſt. Nã qui illũ ſemel tantũ viderant, fieri non poterat, quin præſentiam eius amarent. Erat enim ingenti magnitudine corporis alti pedes ſex, venuſto & eleganti vultu, formaque: ob eam hiſtorici illorũ temporum Abſaloni Dauidis regis filio illum comparant: quem honorem adeptus quamdiu cum hominibus fuit præclarè admodum geſſit, & boni paſtoris famam apud Anglos, cæteraſque gentes opinionem eſt conſequutus ſanctimoniæ & egregiæ in Deum pietatis. Querebatur de veſica, cuius dolore calculis demum per vrinam eiectis ſæpe erat leuatus, & cùm in patriam rediiſſet nimium vrgente eodem morbo exceſſit è vita, anno eius ſæculi ſeptuageſimo, decimo quinto

Calendas Auguſti, vt deſcripſimus ex tabula ærea craſſa digitos quatuor, lata pedes totidem,longa circiter vndecim, cuius margines omni ex parte maiuſculis litteris loquuntur in hunc modum: HIC IACET BONIFACIVS DE SABAVDIA CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS OPERIBVS BONIS ET VIRTVTIBVS PLENVS. OBIIT AVTEM APVD SANCTAM HELENAM ANNO DOMINI MILLESIMO DVCENTESIMO SEPTVAGESIMO, DECIMA OCTAVA DIE IVLII. MAGISTER HENRICVS COLONIENSIS FECIT. Artificis qui tabulam effigiemque fecit extrema verba hæc ſunt, ſed illæ ſuſtinentur ac nituntur ſenis ſtatuis,vtrinque tribus,quæ tantum pondus ferunt, effigies verò ærea vultum quidem ſenis rugis cõtractum(Archiepiſcopus enim trecennio fuit)naſum,oſque,& labra decēter facta

exhibet,eſtque ſupra Mauſoleum Comitum Ducumque Sabaudiæ poſita ad aram maximam templi, tametſi conditus eſt in ſubterraneo fornice è regione trans illã ſita, & ante quindecim annos quum cadauer numquam adaperto tumulo aërem minimè excepiſſet,integrũ adhuc incorruptumque erat,vt qui viderunt mihi retulere.

AMEDEVS TERTIVS.

NATALIS huic locus anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo Melianum fuit, quod oppidum ad Iſaram ſitum paulo ante diximus, ex Cecilia Beroldi nobiliſſimi viri filia, nepotis Gilberti illius qui Arauſio veteri coloniæ imperabat, Bonifacium & aliquot pręterea liberos tulit, nec pietate erga Deum, & obſequio erga Romanos Pontifices minor maioribus ſuis habitus eſt, nec liberalitate in Templa Dei immortalis & cultorum eius. Leonoram Raimundi Berengarij filiam in matrimonio habebat Henricus tertius Anglię Rex, quem Amedeus maximè diligebat, vt anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, in manibus & coram Bonifacio Archie-

piſcopo Cantuarienſi,&aliorũ qui aderant conſanguineorum ſuorum fidem pręſtarit (quam à facto hominis homagium vocant) ſe ſuosque impoſterum ab illo Rege agnoſcere profecta eſſe feuda quędam à fide ſic dicta, videlicet Secuſium, Auellianam, Sancti Mauritij Chablaſij oppidũ. Chablaſia non vrbis nomen eſt, ſed regionis, in qua Tononium oppidum eminet, cuius Duces priuſquam Sabaudiæ dicti ſunt. Matthæus Hiſtoricus in Henrico tertio, vbi hoc Amedei factum narrauit hæc pauciſſima addit, *Hoc quoque licenter ſalua fide ſua facere potuit, ſine Imperatoris iniuria & Imperij mutilatione, cùm nihil præter aquas & tranſitus teneat de Imperio.* Cùm verò in ipſo natali ſolo Amedeus ſexageſimum ætatis annum ageret, ſcriptis anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo & tertio duabus teſtamenti tabulis, quæ Camberini à Rationali-

bus Principis aſſeruantur, exceſſit rebus humanis, & apud Altamcumbam piè conditus eſt.

THO-

THOMAS SECVNDVS.

THOMAS ſecundus primi filiꝰ, Princeps Subalpinę regionis quod Pedemontiũ vocãt, quia regio illa ad radices Alpium ſita eſt, Meliani quoque naſcitur anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono. Saubaudiæ enim matresfamilias iam expertæ erant aërem ibi ſaluberrimum, educandiſque liberis idoneũ. Nuptum ei data eſt Ioanna Flandrię Comitiſſa, ex qua liberos non habuit. Itaque ea mortua, & ſpe Comitatus retinendi amiſſa vxorem duxit Beatricem Thediſij filiam, è primoribus Genuenſis Reipubl. Lauaniæ Comitis, qui Innocentij quarti Pontificis Romani frater erat: Beatrix verò ſoror Adriani quarti; deque iis nuptiis, vt cæteros omittam, Iuſtinianus in Genuẽ-

ſium annalibus breuiter agit. Hic verò Thomas cùm Aſtẽſes ad direptionem Callerij oppidi in edito colle ſiti ſupra Padum flumẽ venire nunciarẽtur, Taurinum ſe contulit, ſperans auxilio oppidanorum & clientum ſuorum ſua recuperare. Cęterùm Taurinenſes contemptores diuini numinis, & famæ ſuę immemores, & iuriſiurandi quo Thomę Comiti pridem aſtricti erant, eoque temerè violato procurantibus eiſdem Aſtenſibus ipſum capere & detinere non ſine proditionis nota auſi sũt. Hęc enim Alexander quartus Romanus Pontifex ad Reginam Anglorum ſcribit, epiſtolamq; illius Matthęus hiſtoricus inſerit. Eadem Alexãder Thomæ familiam genuſque eius ſingulari beneuolentia ſe proſequi ait propter inſignem pietatẽ quæ in illo erat, quẽ quidem obiiſſe cõſtat anno milleſimo ducẽteſimo quinquageſimo nono Calend. Februariis, & apud Altamcumbam ſitum eſſe.

LVDO-

LVDOVICVS THOMÆ SECVNDI FILIVS.

LVDOVICVS è Sabaudica illuſtri gente, Thomę ſecundi filius, excelſa ſtatura, veſtitu corporis longo, coma diffuſa & cincinata, nec modò ceruicem,ſed etiã tempora & aures velante,atque ab imo aliquantulum reflexa,ſimul facie lęta, ſerenoque ac ridenti vultu, & chirotecas pergrandes manu tenens,vt effigies lapidea in tumulo eius oſtendit,Vaudiorum Deſpota & dominus vtilis fuit: hi Antuates à veteribus dicti exiſtimantur. Ex Secunda vxore Ioanna filia Philipi Monfortij, & Guidonis Forenſiũ Comitis vidua, Ludouicum,& Petrum mares,octo fœminas reliquit,ex prima vltimaque coniu-

gibus nullis omnino liberis ſuſceptis. Et hęc quidem Neapolitana fuit ex Aluetia illuſtri familia, quam nobiliſſimo & potentiſſimo Principi Rex collocãdam cenſuit. Hic enim multos annos fuit cum Carolo ſecundo Neapolis & Siciliæ rege, ac fidiſſimus comes eius merito dici poteſt. Diu enim apud illum vixit conſiliorum omnium particeps, & fortunæ ſocius, vſque ad exceſſum è vita. obiit enim Neapoli anno ętatis quinquageſimo primo, menſe Ianuario, vt annalibus proditum eſt. Natum itaque referam anno milleſimo treceteſimo primo: conditus quidem in templo Diui Petri ab Ara. Cęterum oſſa eius ad Mauſoleum Altęcumbæ Aymo Comes deportari poſtmodum curauit, vbi tumulus eius & lapidea effigies, vxoriſque vltimh, vel vt Ciſterciẽſes opinãtur, ſororis adhuc cernitur è regione Mauſolei, ſimul imago eius videtur, & inſigne, fulua aquila, in ſuperficie aurata,

in vitrea feneſtra Sacelli illius,ad quod ſub faſtigiato tholo poſitus iacet. Nec tumulum eius aliter vocant quàm ſepulchrum Principis Peloponeſi, quam Moream nunc dici notiſſimum eſt.

PETRVS.

PETRVS Thomæ primi,qui numeroſam prolem habuit,filius,Bonifacio ex fratre prognato & ſine liberis mortuo ſucceſſit. Eum conſtat ſub Alpibus Secuſij natum eo ipſo tempore quo Vuillarduinus anno milleſimo ducenteſimo tertio, Gallicã expeditionem Francorum Procerum cum Venetis coitã dicit,narratq; Conſtantinopolim ab iis captam. Anno autem milleſimo ducẽteſimo quadrageſimo primo in Angliam profectus ab Henrico tertio honorificẽtiſſimè ſuſcipitur,ac deſignatur Richemundiæ Comes. Poſtea anno ducenteſimo quinquageſimo ſexto,vt in vita Henrici tertij ab eodẽ autore Matthęo exponitur, Petrus idem cum Bonifacio Archiepiſcopo

copo Cantuarienſi,& Philippo electo Lugdunenſi, aliiſque Sabaudienſibus Taurinũ obſedit. In vinculis erat Thomas, vt ſi qui ex oppidanis capti vltimo ſupplicio afficerētur, ipſe quoque pœnas lueret. Tandem ea vrbs Pado finitima,ſedeſque maximi olim Epiſcopi cuius extant præclarę ad ciues ſuos homiliæ, Thoma vt veriſimile eſt mortuo expugnata eſt,grauiſſimiſque bellis in Aſtenſes confectis pax tandem inter eos eſt facta. Maximum Taurini Epiſcopũ fuiſſe diximus,ſed quanta adhuc eſſet populi Taurinenſis ignorantia ex hoc eius loco notum fieri cupio. *Quis non moleſtè ferat ſic vos eſſe veſtræ ſalutis immemores, vt etiam cœlo teſte peccetis? nam cùm ante dies pleroſque de veſtræ auaritiæ cupiditate pulſauerim, ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius penetraret ad cælum. Quod cùm requirerem quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laboranti Lunæ veſtra*

vociferatio ſubueniret, & defectũ eius ſu- clamoribus adiuuaret. Riſi equidem, & miratus ſum vanitatẽ, quòd quaſi deuoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum: tanquam infirmus enim & imbecillis, niſi veſtris adiuuaretur vocibus, non poſſet luminaria defendere, quæ creauit. Ad Petrum iam redeo, bellum enim geſſit aduerſus Comitem Geneueſij, petentique auxilium ab Henrico Angliæ Rege in gratiam Leonoræ vxoris citò datũ eſt; illa enim Sabaudienſium Comites propinquitate ſanguinis contingebat Aymo illis temporibus Fuciniaci Princeps erat, Fuciniaco Bonauilla oppidũ præeſt, & Arua fluuius tractũ illũ rigat. Agnes ipſius filia Petro nupſit, ex qua Beatricẽ vnicam ſuſcepit. Vxorem Guigonis quarti Delphinatiũ Principis, quæ Melanſij Geneuenſis diœceſeos in Templo Carthuſianorum iacet, Ioannemque & Annam peperit Dumbarum, id

exiguæ prouinciæ ad Ararim nomẽ eſt, poſſeſſorem ac Dominum Petrus quoque ad obſequium & clientelam adduxit,ſcriptiſque teſtamenti tabulis apud Chillonem mortuus eſt mẽſe totius anni amœniſſimo ac ſuauiſſimo; videlicet Maio,condituſque Altæcumbæ anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo, ſeptimo Calend. Iunias.

Etſi autẽ multa præclara & illuſtria Petrus geſſit,nihil tamen eſt quod eum poſteritati magis cõmendet,quàm Diui Mauritij, vt aiunt, annulus dono acceptus ab Abbate Diui Mauritij Chablaſienſis, quod exiguæ regionis nomẽ eſt. nam quoties aut Comites mori,aut cedere Imperio volunt, ad ſucceſſorem annulum illũ quaſi mutati Imperij indicem mittunt.

PHILIPPVS PRIMVS.

PHILIPPVS Thomæ primi filius naſcitur Aquebellæ, id tenuis oppiduli nomen eſt ab Argo fluuiolo nõ procul ab argẽteo amne dicti, qui in Iſaram influit. Hic propter dignitatem & amplitudinem familię ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum vocatus electuſque eſt, fuiſſetque diuini iuris ſi Petrus deceſſor filium & heredem habuiſſet, aut niſi Romanus Pontifex ipſum ad ſuſcipiendos ſacros ordines compellere voluiſſet. Sumpta igitur militari trabea in matrimonio habuit Aliſam Hugonis Burgundiæ Comitis viduam, quæ nullos ei liberos peperit pręter vnicam filiam: ea Albonenſi apud Allobroges Comiti nupſit, vt in veteri Chronico Sabaudicæ gentis re-

perio, nec patri tamen ſucceſſit, quia moribus non eſt receptum in Sabaudia vt filia in poſſeſſionem Comitatus parenti ſuo ſuccedat. Quam rationem vetus Chronicon habet. Mortuus verò eſt anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quinto, & decimo Calendas Decembres. Oſſuarium eius Altæcumbæ conſpicitur.

BONIFACIVS.

BONIFACIVS anno Chriſti milleſimo ducēteſimo quadrageſimo quarto Calen. Decem. naſcitur Camberini Amedei tertij filius, ſub tutela Thomæ patrui Ceciliæque matris, quæ cùm obiiſſet anno ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, duodecimo Calend. Iunij, Altæcumbæ poſt mortem filij ſepulta eſt. Taurini Italiæ populi habent agros amœnis fructiferíſque collibus plenos, frumenta, aliáſque fruges cum ſuauiſſimis fructibus produnt. Vrbs eorum dicitur Auguſta, vbi rebellio iterum facta eſt, eius expugnandæ ſtudio ductus Bonifacius vir ad bella promptiſſimus, illudēte cultoribus fortuna, ſine qua nihil fœliciter agi poteſt, captus, turríq; miſer incluſus

apud hoſtes periit cùm annus ageretur millesimus ducenteſimus ſexageſimus tertius; ante Bonifacium Archiepiſcopum Cantuarienſem. Nam hic obiit anno eius ſæculi milleſimo ducenteſimo primo, vt Matthæus hiſtoricus refert, permiſit tamen hoſtis vt in patria ſepeliretur, itaq; Maurianæ in Sabaudia iuxta Vmberti primi Amedeique primi cineres maiorum ſuorum conditur. Cuiùs Bonifacij ſoror Leonora nupſit Ludouico Belliiocenſi magiſtro equitum in Gallia, qui honos maximus habebatur. Ea verò obiit anno milleſimo ducẽteſimo nonageſimo ſexto, ſepeliturque Villęfrancæ duobus ab Arari paſſuum millibus, in Templo Diui Franciſci inter altare & veſtiarium, vt Bellijocenſium annalibus manuſcriptis continetur.

AMEDEVS QVARTVS.

PRÆCLARVM & illuſtre cognomen Amedei quarti, qui Thomę ſecundi filius fuit, qualis quantuſque fuerit oſtẽdit; magnum enim omnes vocabant, quod regio aſpectu, procera corporis ſtatura eſſet, & mirabili prudentia conſilioque abundaret. Naſcitur Burgetij anno ſupra mille ducenteſimo quadrageſimo nono, ac dicitur ex teſtamento ſucceſſiſſe Philippo patruo ſuo, liberorũque Thomæ fratris tutelam apprehendiſſe, ne ad imperium gentis ipſis debitum vnquã peruenirent ex Sibilla Guidonis Baugiacenſis filia. Eduardum & Aymonem liberos ſuſcepit, anno autem milleſimo ducẽteſimo octogeſimo quinto apud Cluniacenſes conuentum Innocẽtium

ſiue ſanctum inſtituit, gratias acturum Deo quod ſibi filios benignè conceſſiſſet. Sebuſianos igitur qui ſunt inter Ararim & Idanum fluuios vxorio iure ditioni ſuæ adiunxit. Sibilla eadem ſcripſit teſtamẽti ſui tabulas quibus filium Eduardum inſtituebat heredem: Aymonem eiuſque filios ei ſubſtituebat, ac reliquit vſumfructum rerum ſuarũ Amedeo coniugi ſi ſuperſtes vxori foret, idque ſupremum elogium confectũ eſt anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto; vixit tamen vſque ad nonageſimum quintum, tunc enim quinto calend. Iunias Altęcumbæ ſepulta eſt. Hẽrici octaui Cæſaris aſſiduum per Italiam comitẽ Amedeus ſe præbuit, quæ vox Deo dilectum ſignificat: ad Orientem ſolem fugatis immanibus Turcis Rhodum Inſulam Chriſtianis equitibus ſeruauit, ideoque publicè rogatus ab iis vt pro aquila cuiuſmodi Altæcumbæ nunc quoque conſpicitur, argumento

candidæ crucis velut auguſtiori vtere-
tur, permiſſu Cæſaris ita fieri optauit,
quod imperio Comites Sabaudię ſe ob-
ſequi prædicant, ipſeque & poſteri eius
eo ſigno vtuntur. Ioanni Romano
Pontifici gratiſſimus etiam fuit, ad quē
profectus vt auxilia in Turcas peteret
Auenione deceſſit decimo ſexto Ca-
lēdas Nouembres anno milleſimo tre-
centeſimo viceſimo tertio, deportatuſ-
que eſt Altamcumbā, atque ibi magna
pompa conditus peruigiliis Apoſtolo-
rum Simonis & Iudæ. Cæterùm ante
obitum fecit diuiſionem bonorū ſuo-
rum inter Eduardum & Aymonem,
huncque & liberos eius illi ſubſtituit
cùm annus numeraretur milleſimus
trecenteſimus viceſimus ſecundus. Nec
prætereo quod apud Valſingham An-
glię hiſtoriæ ſcriptorē inuenio relatum
Amedeum Comitem Sabaudiæ vnà
cum Carolo & Ludouico patruis Re-
ginæ Iſabellæ, quæ recens Edoardo ſe-

cundo nupſerat in Angliam profe-
ctum coronationi eorum interfuiſſe
Philippi Pulchri temporibus, an-
no eius ſeculi no-
no.

EDOARDVS.

AMEDEI quarti filius, atque hæres EDVARDVS naſcitur Baugiaci Sebuſianorum, in materni iuris oppido, anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo primo, mẽſe Februario. Adultus vxorem duxit Blancham, Roberti Burgundiæ Ducis ex Agnete Diui Ludouici Francorum Regis filiam. Anno autẽ milleſimo trecẽteſimo viceſimo quinto vnà cũ Duce Humbaldo ipſe Sabaudiæ Comes arbiter pacis fuit inter Philippũ Pulchrum, & Flandrorum indomitam gentem: atque armis vtrinque diſceſſum eſt, vt Villaneus ſcribit Florentinæ hiſtoriæ libro octauo. Poſtremò ad Treuicum

annoautem milleſimo trecenteſimo viceſimo quinto eius ſæculi 7 Idus Augusti ad Treuium arcem in Viennenſium finibus conflixit cum Delphino Guigone Ioannis filio, qui nondum exceſſerat annum ætatis decimum octauum, militum pari propè numero, diuque fortiſſimè dimicatum eſt: ſed Amedeus tandem victus, & ex auxiliaribus Comes Altiſſiodori Robertus frater Ducis Burgundiæ, & amplius centũ quinquaginta nobiliſſimi equites capti in hoſtium manus venere. Tertio poſt eam pugnam anno die lunæ D. Marco ſacra Lutetiæ Pariſiorũ capitali iudicio interfuit Petri Remij Regij quęſtoris & rei peculatus, dixitque in eum ſeueriorem ſententiam, vt raptatus per vrbem Lutetiam in publica furca laqueo extingueretur: quam ſententiam Burgundiæ & Britanniæ Duces vnà cum Rege Carolo pulchro probarunt, & quampluri-mis nobiliſſimis Galliæ viris, quorum

nomina & ſigna iudicio apponũtur, idque in actis Senatus Pariſiẽſis nũc quoque viſitur. Eodem verò anno deceſſit Carolus Rex Philippo Valeſio ſucceſſore, qui regnum adept⁹ rogatu & precibus Clementiæ quæ Ludouico Hutino Regi iam mortuo nupſerat, filiaque erat Caroli Martelli Hungariç Regis, pacem procurauit inter Comitem Sabaudiæ & Delphinum Viẽnenſem qui bellum adhuc acerrimum gerebant; cumque periculoſè Clementia ægrotaret, vt eã ſolaretur effecit vt ipſa prçſente pacem iurarent, & ſe mutuò deoſcularentur, nec multo poſt Regina illa multarũ ac maximarum virtutum deceſſit magno dolore Viennenſis qui nepos illius erat. Eo ipſo anno cùm Flandri Ludouico Comiti ſuo rebellionem feciſſent, Philippus cõpulſurus eos ad obſequiũ cum viginti equitum millibus, & peditum ingenti numero in Belgicam proficiſcitur: inter cæteros ſocios auxiliares

habuit Comitem Sabaudiæ & Delphinum Viẽnenſem,atque illis viribus amplius duodecim hominum milibus qui à Ludouico defecerant, apud Caſſellas occidit reliquo exercitu in fugam conuerſo, hoc memoriæ proditum eſt à Ioanne Villaneo illius temporis hiſtorico. Anno autem milleſimo trecenteſimo viceſimo quarto Eduardus & Aymo fratres diuiſionem bonorum à patre factam ratam habuerũt,atque hic omnibus ceſſit quę erant ex paterna ſucceſſione. Viceſimoq; octauo agnouit Eduard⁹ debere ſe Blãchę vxori pro mũdo muliebri quinquies mille ducentas quinquaginta libras,quæ ſumma illis temporibus magna videbatur. Cæterum Edoardus obiit Lutetiæ Pariſiorum,pridie nonas Nouembres,anno milleſimo trecenteſimo viceſimo nono, nulla prole maſcula relicta. Altæcumbæ cum maioribus ſuis ſepultus iacet.

AYMO

AYMO.

IN Sebuſianis quę nunc Breſſia dicitur, idque Burgi natus Aymo 18. Cal. Ianuarias anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo fratri ſine maribus decedẽti ſucceſſit, moribus gentis ita ferentibus. Poſtea ex Iolanta Theodori Paleologi filia qui Mõferrati Marchio erat tulit Amedeum heredem. Nec multo poſt vxor in partu deceſſit nono Calend. Ianuar. milleſimo trecenteſimoquadrageſimo ſecũdo, elemoſynis in pauperes collatis clarior quàm narrari poſſit. Menſe verò Septembri milleſimo trecenteſimo tertio Delphinus Viennẽſis Porreriam Caſtellum occupatũ à Comite Sabaudiæ obſidere volens cum mille quingẽtis equitibus tam ex ſuis quàm amicorum

rum

rum copiis, cùm in equo inermis & incautè id circuiret, ſagittâ ictus, delatúsque in tentorium, & auulſo è vulnere ſpiculo obiit. Exercitus tamen amiſſo Duce non deſtitit obſidere, tandémque illud expugnauit, obſeſſis omnibus ferro peremptis. At Ioannes Pontifex maximus, & Robertus Rex Neapolis conſulebant Delphinatibus vt pacem cum Sabaudo facerent, quod Rex Galliæ regnum Viennenſe & Arelatenſe palam peteret. Hæc in Florentinis Annalibus Villaneus refert, quemadmodum & illud anno milleſimo trecenteſimo triceſimo octauo aduerſus Edoardum Anglorum Regem, & fœderatos hoſtes, cùm vocati eſsēt à Philippo Comes Sabaudię & Delphinus Viennenſis eos cum peditum atque equitum turmis in Belgicam profectos Froſſartes hiſtoricus narrat. Bieñio pòſt cùm Tornacum Neruiorum obſideretur ab Anglis, ad reſiſtendum eis Comitem

Sabaudię, & Ludouicum fratrem eius auxiliares affuiſſe Philippo Regi Francorum, qui áuthor pacis inter eos fuiſſet. Reuerſus domum Aymo obiit mẽſe Iunio, milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio. Quoquidem anno peruigiliis Natalis Domini ſepultus eſt. Eademque die oſſa deceſſorum Aymonis è tumulis ſuis eruta in Templum ipſum Altęcumbę ſolemni pompa tranſlata ſunt, collocataque in ſacello quod ipſe viuens ædificari iuſſerat.

AYMO COMES SABAVDIÆ Amedei IV. filius.

MAXIMAM laudem Aymoni Comiti Sabaudiæ, verúmque decus & gloriam peperit, pariétque in poſterum cura maiorũ ſuorum, quos etſi non omnes, neque enim poterat, magno ſumptu in vnum mauſeolum conferri & deportari iuſſit, reliquiasque multorum templo Sabaudici nominis intulit, apud Altamcumbam dilectum ipſis ſibíque gratum & dulce monaſterium, ſic dictum, vt opinor, quòd Burgiti lacui altè incumbat: in cuius templo Diuæ Virgini dicato, ipſe magnificum ſacellum quadratâ figurâ fieri curauit, pluribus feneſtris vitreis, quæ duo latera complectuntur, ad perſpicuitatem nullo pene colore infectis,

innumeriſque ſtatuis Diuorum Diuarumque in circuitu aptè collocatis ornatum; in eius ara ad orientem verſa imago eiuſdẽ Virginis cernitur, vt patronæ Sabaudicæ familiæ gentisque ac nominis; quòd ſi aciem oculorum ad tholum referas, minutis crucibus albis in perpetuo rubeo campo egregiè depictis pulchrè exornatum ſenties; chorum verò intuenti, aramque maximam templi ex eodem ſacello occurrit ipſius Aymonis, Yolantæque vxoris eius chariſſimæ tumulus è marmore nigro clatris ferreis munitus, vbi marmoreæ cãdentes ſtatuæ vtriuſque ſpectantur. Aymo caput, & reliquum corpus armis ferreis tectum habet, vt ne aurata quidem calcaria illi deſint, nec laminæ ferreæ ad integendos pedes, nec germanicus pugio pene informis, ensíſque venatorius pendens è balteo militari, mẽtum ipſum leuioribus armis orbiculari figura intextis coopertum eſt, atque vt

paucis dicam, naſus tantùm, osque cernitur; nam de oculis nihil etiam dici poteſt, quos mortuus adapertos non habet: vultus verò vxoris ſucculentus Italicum in morem, & venuſtus effingitur, verùm tumulus à ſuperiore parte faſtigiatus cernitur, ita tamen vt ſupra id faſtigium, & columnas vtrinque duas quibus præcipuè nititur, locus patens ad perſpiciendum chorum ab artifice ſit relictus, maiorum autem veteres ac diſperſas reliquias vno tumulo humaturus, colligere & comportare cupiens, ſub ſacello exædificari tria diſtincta muris loca ſeu fornices iuſſit, vnum ad recondenda vxorum cadauera, alium ad liberorum, tertium ad veterum Comitum reliquias collocandas, & temporibus Caroli Emanuelis ſereniſſimi Ducis Sabaudiæ quadraginta cadauerum reliquiæ in illis ſubterraneis fornicibus latentes clauſæque numerātur. Sacellum verò id fieri iuſſit anno ſupra mille tre-

centos quadrageſimo ſecundo, decimo Cal. Ianuar. Nomen vxori fuit Yolantæ filiæ Theodori Marchionis Montisferrati: eadem etiam neptis erat Manuelis Cæſaris Conſtantinopolitani, ex qua Amedeum hæredem à colore veſtitus Viridem vulgo dictũ, & Blanchã quæ adulta nupſit Galeacio Vicecomiti, Medionali Inſubrium, & Ticinenſibus imperanti. Eidem vero maxime illuſtre erit quod fratre Edoardo relicta filia ſuperſtite, demortuo, ipſi hereditatem paternam vindicanti ab optimatibus Sabaudiæ conuentibus factis reſponſum eſt, heredem eſſe Aymonem, qui & nomen familiæ, & inſigne habeat, præferatque, nec moris eſſe vt in eum comitatum filiæ parentibus ſuccedant, quandiu vel patruos vel cæteros agnatos habent. Laudi etiam erit quod Delphinum Viennenſem abſens mortifera ſagittæ ictu per pręſidiarios ſuos vulnerauit, occiditque hoſtem acerbiſſimum

moleſtiſſimumque Sabaudicæ genti, maiore inde parata gloria, quod non multo poſt pacem bona fide iniit cum Vmberto occiſi fratre, tametſi in gratiam Philippi Regis Francorum id factum, memoria proditum eſt. Quin ipſum Philippum qui Valeſio nomen in prælio Craeciacenſi adductis copiis iuuit.

AMEDEVS QVINTVS.

AMEDEVS Aymonis filius ob virentem corporis cultum quo colore ferè vtebatur, Viridis cognomen apud ſuos accepit. Natus eſt Camberini menſe Februario milleſimo trecenteſimo quarto. In procuratione rerum Comes Geneueſij ei à patre relictus erat; quo mortuo conſentientibus Sabaudiæ proceribus electus eſt vir nobiliſſimus Guillielmus Balma, cuius cõſilio iuuenilis ętas Amedei rempubl. regeret. Adultus ex Bona Petri Borbonij regiæ ſtirpis filia Amedeum & Ludouicum ſuſcepit. Adeſſe quidem Philippo Valeſio non potuit, & pugnam Creſcianam videre quæ anno eius ſeculi quadrageſimo ſexto facta eſt, ei tamen interfuiſſe Sabaudos quoſ-

dam proceres à Froſſarte hiſtorico litteris mãdatum eſt, qui fortiſſimè dimicarint. Primus autem inſtituit militarem ordinem equitum cum huiuſmodi argumento, FORTITVDO EIVS RHODVM TENVIT, Amedei aui naualem de Turcis victoriam reuocans in memoriam viuorum. Idque exemplum poſtea ſequuti ſunt quotquot Equeſtres ordines inſtituerunt. Leonellus Regis Angliæ filius Dux Clarentiæ Galeacij Principis Mediolanenſium filiam ex Blanca Amedei ſorore per legatos petebat, venitque in Galliã multo comitatu nobilium virorum, vbi à Rege honorificentiſſimè exceptus, eſt idque Lutetiæ Pariſiorum. Dein in Sabaudiam profectus Camberini ſuſcipitur ab Amedeo, Mediolanumque deducitur Inſubrium vrbem ſplendidiſſimam, eique vt conuenerat Blancha nupſit anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo. Creato poſtea Clemẽ-

te Vrbani ſexti aduerſario exemplum ſecutus Galliæ & Hiſpaniæ regum anno eius ſęculi ſexageſimo octauo obſequiũ ei præſtare cœpit, vt Froſſartes narrat. Quo autore etiã dicimus Carolo quinto Francorum Rege mortuo ad inaugurationem Caroli filij inter cæteros inuitatum Sabaudię Comitem, & ei quidem interfuiſſe. Accidit vt Dux Andegauenſis (Andegauos Cæſar in commẽtariis Andes vocat) Ludouicus de bello Neapolitano cogitaret, mitteretque ad Amedeum cui maximè confidebat, & ab eo auxilia peteret. Amedeus militari ſtudio dedit⁹ petitioni annuit, acceptoque Auenione ſtipendio quanto opus eſſet turmas equitum mille aut ampliùs ad Ludouicum per Alpinas gentes in Italiam deducit, ac fortè accidit vt hariolus quidam effecturum incantationibus ſe diceret vt caſtellum Ovi ab obſidentibus Neapoli caperetur. Tu verò, inquit, præſtigiis efficere vt capiatur nõ

potes, vanę enim hę ſunt artes & à militaribus animis alienæ, eique quamuis humaniſſimus natura, ne vmquam genus mortaliũ falleret, caput ſecuri percuti iuſſit. Denique exacto triennio Comes Sabaudiæ in eo bello deceſſit anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio, ſcripto pridie nonas Maij teſtamẽto ſuo, cadauer domũ eſt relatũ, & Altæcumbæ conditum decimo ſeptimo Calend. Iulij præſentibus viginti quatuor præſulibus, & concurſu nobiliſſimorum hominum quantũ illa ætas in Alpibus non viderat, de mortui pietate in Deum teſtatur Petra Caſtellum ad Rhodanum vbi Cartuſiam ædificari iuſſit, annuiſque reditibus locupletari. Is locus ab Iena modica vrbe non multùm diſtat.

AMEDEVS SEXTVS.

MAIORES Amedei hactenus Sabaudiæ Comites appellauimus,ipſum incipiemus Ducem dicere. nam idem autor Froſſartes qui Edoardum Aymonem & Amedeum V.Comites Sabaudiæ vocabat, Amedeum ſextum Ducem eiuſdem Sabaudię nuncupat. Hic Auillianę in ſubalpina regione natus eſt vi. Cal.Martias anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi noni, adultúſque Bonam Ioãnis Biturigum Ducis filiam vxorem duxit,factæque ſunt eorum nuptiæ xv. Cal. Februar. milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Lutetiæ Pariſiorum, ex ea Amedeum ſucceſſorem genuit. Angli Flandrique Hypras in Belgio ob-

ſidebant: Carolus ſextus, vt eos depelleret, exercitum ingentẽ coegit: Dux Sabaudię & Geneuæ Comes cum ſeptingentis equitibus ei affuere. Rurſum anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſexto cum eodem Rege Amedeus ſubnixus auxiliarib⁹ copiis in Belgicam profectus eſt. Apud Ioannem Gallum Regium in Senatu Pariſienſi Aduocatum de controuerſia Comitis Sabaudiæ & Marchionis Salaſſorũ legiſſe me memini verba huiuſmodi. Marchio Salaſſorum & Comes Sabaudiæ Carolo Regi patri eius, qui nunc imperat litem ſuam commiſerunt, & coram eo partibus ipſis pręſentibus iàm litigatũ erat. Inter moras rex ipſe moritur, nihilominus poſt patris obitũ filius litem illã dirimi iuſſit, dieque vndecima mẽſis Maij anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo Simon Friſo is Senatui Pariſienſi pręſidebat Marchionem à petitione & libello Comitis abſoluit, idque ſenatus-

conſultum Regiis verbis pronunciatũ eſt,& copioſius ab eodem ſcriptore exponitur. At Amedeus domum reuerſus immaturo fato extinguitur Ripaliæ Calend. Nouemb. anno eius ſeculi nonageſimo primo, Altecumbæ conditus. Otho Grandſon in ſuſpicionem venit ſublati veneno Principis, fugiendúmque in Angliam fuit; nam in Sabaudia, in Gallia,& Germania viuere ei non licebat, vt Froſſartes in Annalibus refert.

VMBERTVS AMEDEI VI. naturalis filius.

VMBERTVS ſumma virtute & humanitate adoleſcẽs, bellicæq; laudis ſtudio deditus, ab Amedeo primo Sabaudienſium duce, mittitur ad id bellum quod Sigiſmundus Cęſar & Pannoniæ populi aduerſus immanes Turcas gerendum ſuſceperant: Vbi ad Nycopolim (quod nomẽ victoriam ſignificat) Chriſtiani ingenti pręlio victi ab iis ſuperatique ſunt, anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo: in ea pugna multis quidem hominum millibus interfectis Vmbertus fortiſſimè dimicans in poteſtatẽ hoſtiũ venit, atque apud eos miſeræ ſeruitutis iugo oppreſſus ſeptennium fuit, donec Sultano placuit, vt auro redemptus à

ſuis, in priſtinam libertatem & patriam Alpinæ gentis ſedẽ reſtitueretur. Igitur reuerſus ad cariſſimum fratrem, acceptuſque eſt ſummo applauſu & lætitia, ac memor moleſtiſſimę diuturnęque ſeruitutis ſuę in reliquum vitæ tempus vſus eſt militari argumento Turcica lingua in hũc modũ concepto, ALAHAC, ALAHAC, ALAHAC, quę voces iuſtum eſſe Deum teſtantur, ipſo interprete quem Turcarum ſermone multo vſum in tantę ſeruitutis mora veriſimile eſt. Viſitur eius armati ſtantiſque effigies in templo Altęcumbę ad lacum Burgitẽ, vbi in oram militaris trabeę rubei coloris verba illa inciſa adhuc cernuntur: eademque eſt aſperſa lunę creſcentis imagine, in ſacello quod ipſe anno ſupra mille quadringentos viceſimo primo fieri curauit. Paulo infra Mauſoleum principum Sabaudiæ, etſi in eo ſepultus non eſt, vitreæ verò feneſtrę crucem albam in rubeo campo quinq; locis

locis lunæ creſcentis ſpecie diſtinctam habent. Montagniaci & aliquot præterea oppidorum dominum fuiſſe inſcriptio docet ſimul fratrem quidem Ducis Amedei, etſi in eo ſepultus non eſt, ſed naturalem tantùm, id eſt legitimis nuptiis minimè prognatum, quod parum lædit animos qui virtutem colunt; Virtus enim poſtquam firmiſſimas radices egit, tantarum eſt virium, vt natalium turpitudinem abolere ſola videatur.

AMEDEVS SEPTIMVS.

AMEDEVS Camberini natus, (id eſt Prætoriũ totius Sabaudiæ) pridie Nonas Septembris, anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto. Mariam Philippus Burgundiæ Dux filiam ſuam vxorem ei adulto dedit, ex qua Ludouicum ſucceſſorem genuit. Thomas Marchio Salaſſorum fiducias ei fecit vt Comiti Sabaudiæ pro omnibus vrbibus, caſtellis, vicísque quibus imperabat, idque anno milleſimo quadringenteſimo tertio, & triennio pòſt à Sigiſmundo electo Cæſare Dux Sabaudiæ dictus eſt ſexto Idus Februarias anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto, etſi Amedeo patri hoc Ducis nomen iam antè tribuebatur, vt in eius vita oſtendimus.

Ad Boemos tunc hæreſis reos ſi fieri poſſet in profligandos ſpontè auxilia miſit. Statutorum libros quinque ſcribi iuſſit, vnde ſubditi iuris formulas peterent, ſcripto enim iure vtuntur. Benedicto XIII pro Pontifice ſe gerenti aliquãdiu fauit ipſe, poſteà Ripaliæ abditus mille paſſibus ferè ab oppido Tononio diſtantis, & ſolitudinẽ vt videbatur appetens, dimiſsâ filio Reip. curâ, quem ſubalpinæ regionis Principẽ & vicariũ ſuum in tota ditione fecerat, à ſynodo Baſilienſi in Pontificem Max. eligitur, ac Felicis nomen ſibi impoſitũ amplexus eſt, nono poſt anno tranquilitatis publicæ cauſa ceſſit Nicolao deceſſori Eugenij, quod ſuperfuit vitæ: id verò ſanctiſſimè ab eo peractum fuiſſe dicitur. Obiit autem Geneuæ anno ætatis ſexageſimo ſeptimo, & Ripaliæ tumulum ei fieri hæres curauit. Poggiũ igitur Felici paulo iniquiorẽ fuiſſe neceſſe eſt. At Ioannes Gobelinus in Com-

mentariis rerum geſtarum à Pio ſecundo veri⁹ vt exiſtimo de Amedco loquitur. Libro enim ſeptimo, *Sabaudia, inquit, in Alpibus ſita eſt, quæ Galliā ab Jtalia diſterminant, & à mari Liguſtico vſque ad Heluetios protenditur. Arelatēſis prouincia partem Sabaudiæ contingit, partem Delphinatus, & Rhodanus magnam percurrit partem: præcipua Sabaudienſis dignitas circa Lemannū lacum, cui & Gebena, & Lauſana nobiliores ciuitates adiacent. Sabaudienſem domum ex gente Saxonica profectā memorant. Olim Comites fuere. Sigiſmundus Jmperator in Conſtantienſi concilio extincto Comitatu Ducatum erexit. Primus eius gentis Dux Amedeus fuit, cuius imperium & vltra & citra mōtes latè patuit. Duodecim Pontificales Eccleſiæ in eius ditione fuere. Uxorem duxit ex domo Burgundica Philippi Ducis ſororem. Filiarum alteram Philippo Duci Mediolani tradidit, alteram LudouicoRegi Siciliæ, cuius ſuprà fecimus mentionem: Ludouico filio*

primogenito cõiugẽ ex Cypro copulauit, affinitate omnibus ferè Chriſtianis regibus iunctus eſt: fortunatiſſimã vicinorũ miſeriç fecerunt in Gallia Burgundorum & Armeniacorũ diſſidia flagrauerunt: & Angliæ furor regnũ vexauit. In Italia Veneti & Florẽtini aduerſus Mediolanenſem principẽ odio implacabili contẽderũt. Amedeus procul ab armis in montibus regnans nunc horũ nunc illorum arbiter eligebatur: atq; vnus omniũ exiſtimabatur, qui ſibi & alijs rectè conſulere noſſet. Diu ad eum, quaſi ad alterum Salomonem hinc Itali, hinc Galli pro conſilio de rebus arduis recurrerunt. Poſtremo & ipſe quoque vanã & fluxã huius ſęculi ſapiẽtiam oſtẽdit. Eo iam ſene, Baſilienſe cõcilium cœpit, quocũque ſtatim ab exordio Põtifex maximus Eugenius diſcordauit. Obierat vxor Amedei, quæ vnica eius fuerat: ſtriges, vt aiunt, futura vanè prædicentes Amedeum adiere, eique ſummũ Pontificatum obuenturum prædixerunt, quod in concilio deponẽdus Eugenius eſſet, & ipſe ſubſti-

tuendus. Amedeus ſiue hac ſpe ductus, ſiue alioquin ſuopte ingenio repleto quidem charitate & religione, relicto ducali faſtigio, & omni ſæculi pompa procul eiecta, gubernatione ſubditorum primogenito commiſſa ad eremũ conceſſit. In ripa lacus Lemanni è regione Luſanæ *altiſſima fuerũt nemora, & ſub his prata decurrentibus aquis irrigua: horum magnam partem muro cinxit, incluſitq; ceruos & damas, & quę non ſęuiunt in homines feras. Prope in littore lacus eccleſiam ædificauit, ſacerdotes induxit, prabẽdas erexit, & dignitates aliquas & manſiones cõſtruxit, in queis Canonici cõmodè degerent: nec procul hinc palatium magni operis conſtruxit, foſſa & propugnaculis opportunè munitum. In eo ſeptem manſiones fuere, ſex æquales dignæ, quæ Cardinales reciperent, nulli ſua defuit aula, nulli camera & anticamera, & ſecreta quædam cubicula, ſeu pretioſarum rerum receptacula, ſeptimã principi dicatam, nemo Rege aut ſummo Pontifice iudicaſſet indignam: hinc*

Amedeus habitauit, quem ſex proceres ſecuti ſunt, grandæui & ætate prope pares, quorũ vxores iampridem obierant, nemo non ſexageſimum annum attigerat; & quoniam equeſtris ordinis milites fuerunt, & ſępe in bellis ordines duxerant, nec ſine gloria militauerant, in ipſa mutatione ſecularis habitus ſub Amedeo decano & magiſtro ſuo profeſſionem nouam induerunt: & ſancti Mauritij appellare milites voluerunt: neque enim procul ab eo loco ſanctus Mauritius cum legione Thebea pro Chriſti nomine martyrium pertulit: cuncti penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, quibus Eremitas vti videmus aſſumpſerunt, & barbam prolixam nutriuerunt, & crines intonſos geſtauerunt: loco Ripalia nomen fuit, mille paſſibus ferè ab oppido Tononio diſtanti. Cardinalis ſanctæ Crucis, cùm iret ſecundò in Galliam de pace acturus, huc nauibus appulit. Amedeus per ſiluam, quam diximus muro cinctam obuiam venit ad portam quę erat in littore. Spectaculo digna res, & quam

vix poſteri credant. Princeps ſeculi potẽtiſſimus, Gallis atque Italis metuendus, quem aureis veſtibus ornatum, purpurati admodũ multi circumſiſtere conſueſcent, & ſecures preire, atque armatorum ſequi cohortes, & turba potentum, nunc ſex tantùm eremitis præcedentibus, & paucis ſequentibus ſacerdotibus in veſte vili & abiecta legatũ Apoſtolicum excipit. Veneratu digna ſocietas viſa, Crucem auream Eremitę in pectore geſtauerunt, id tantùm nobilitatis ſignum retinuere, cętera contemptũ ſęculi pręſeferebãt. Venere in amplex⁹ Cardinalis & Amedeus, & multa ſe inuicẽ charitate deoſculati ſunt. Nec ſatis Cardinalis aut admirari, aut collaudare conuerſionẽ Principis poterat, quãuis ſuſpecta mutatio calumniatoribus erat, dicentibus Amedeum ſcilicet ſperare Papatum, atque idcirco eremitam factum. Manſit in hoc habitu & in hac eremo Amedeus annos circiter octo: & quamuis curam regiminis ad filium relegaſſet, grauiora tamẽ ad ſe deferri negotia voluit: nec Ducatus titul

ſe priuauit, nec rem pecuniariã alteri quam ſibi credidit. Interea Baſilienſes aduerſus Eugenium ſtomachati, ad eius priuationem procedere ſtatuerunt, quod cùm perfici nequirent, Epiſcoporum deficiente numero, Amedeus cunctos ſuæ ditionis Epiſcopos, atq; Abbates, & inſignes preſbyteros ad conciliũ miſit, quibus adnitentibus depoſitio Eugenij tãdem extorta eſt, & ipſe paulò poſt Amedeus decreto concilij iam per Eugenium reuocati ad ſummum Pontificium accerſitus. Eugenius antequam deponeretur, concilium ex Baſilea Ferrariã tranſtulerat, vt ibi cum Græcis cõueniret, de quorũ tunc vnione agebatur. Verùm nec omnibus tranſlatio cõcilij placuit, nec Eugenij depoſitionem Reges ac principes acceperũt. Maior pars orbis Eugenio adhæſit. Germani neutralitatem induerũt, ſola Sabaudia & Suizzari, & paucæ quędam diœceſes priuationem Eugenij, & Amedei aſſumptionem admiſerunt. Legati ex Baſilea in Sabaudiam miſſi viri pręſtantes, quorum Princeps fuit Ludouicus Cardi-

nalis Arelatenſis, Amedeum apud Ripaliã quæſiuere, eique decretum electionis obtulere: qui habito conſilio procerum, (conuenerat enim eo in loco cuncta Sabaudiæ nobilitas) facturũ ſe dixit quod de ſe patres ſancti Synodi decreuiſſent. Quo dicto mox in conclaui receptus eſt, & abraſa barba, tonſoq; vertice, corona breui capillorum dimiſſa, pontificalibus indumentis adornatus, iterũ in publicum rediјt. Tum ſedens pro tribunali pallio pontificali & mitra præditus, ex duobus filijs Ludouicum ſeniorem Sabaudiæ Ducem creauit: Philippum natu minorem Gebennarum Comitẽ: deinde Tononium ſe cõtulit, pluresque ibi dies Curiã tenuit, & adueniente demũ æſtate per Lauſanam, & Solotrum apparatu magno Baſileam petijt, ibique præſentibus filijs in ſuggeſtu ante maiorem Eccleſiam erecto, aſtante patrum conuẽtu, in magna frequentia plebium, quę ad rem nouam & inſolitam è vicinis regionibus cõcurrerant, per Cardinalem Arelatenſem in Epiſcopum ordinatus eſt, & Apoſtolico dia-

demate coronatus, ſcriniarijs & aduocatis Felici quinto, (id enim nomen inditum eſt) adeo electo & coronato vitam acclamantibus, ſolemnitas omni ex parte celebris fuit, quamuis vnus tãtùm Cardinalis adeſſet, atque idcirco deſpicienda videretur. Ceremoniæ cunctæ ſeruatæ ſunt: pompa per vrbem mirabili ornatu deducta conuiuium ingenti apparatum ſumptu, cuius omnis Curia particeps fuit. Manſit deinde pluribus menſibus in Baſilea Felix, concilio præfuit, cauſas diffiniuit, Epiſcopos creauit, Cardinales aſſumpſit, Federicum Imperatorem illac tranſeuntem clam audiuit, neque enim ille, quaſi Pontificem in publico voluit honorare. Hęc apud Eugenium audita, magnum incuſſere terrorem. Baſilienſes antea ſine duce ſine capite facile contempſerat, at Felice Pontificium acceptante magno principe vniuerſis Chriſtianis regibus aut conſanguinitate, aut affinitate coniuncto, qui annos quadraginta ſubditos ſuos in pace ſumma iuſtitia ac prudentia gubernaſſet, cuius opes inæſtimabiles

crederentur, non Eugenij modò, ſed omnium Cardinalium, curialiumque mentes ingens metus peruaſit. Iulianus autem Cardinalis ſancti Angeli, ciuis Romanus, qui diu in Baſilienſi concilio præfuiſſet, in conſiſtorio cũ allato nuncio de nouo põtifice trepidare omnes animaduerteret: Tria, inquit, sũt, beatiſſime Pontifex, niſi fallor, quæ tibi Felicem aduerſarium metuendum reddunt, coniunctio, quæ illi cum regibus eſt; ſapiẽtia, quâ prędítus exiſtimatur; & ingẽs pecuniarum vis, quam illi per totannos pacificè regnanti ſuccreuiſſe putant. Hæc times? ij ſunt hoſtes quos vereris? cum his tibi bellum futurum eſt. Fratres mei qui ante me locuti ſunt, multa de his rebus dixere, eaſque ſupra modum extulerunt, atque inſuperabilem aduerſarium his eminentẽ dotibus exiſtimauerunt. At ſi me audias, metum tibi omnem adimam, facilè iſta contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitiũ, neque conſanguinitas eius, neque affinitas nociturna eſt tibi. Irridebunt Reges, nõ adorabũt hominem qui è ſæculari principatu

ad Eccleſiaſticum euolauerit; virum ſangui-num, qui ſępe in bellis fuerit obuerſatus, in-dignum ſacerdotio iudicabunt. Uxorem, di-cent, in ſęculo duxit, & filios procreauit, & nunc in altari ſacratiſſimam Christi hoſtiam audet offerre? inuidebunt, & maledicent homini, nemo amabit. Inter ſæculi princi-pes rara charitas eſt. Nec tanta propinqui-tas vſquã reperitur, quæ tollat inuidiã. La-borantibus conſanguineis nunquam Ame-deus auxilio fuit? Burgundos in bello reli-quit, & Francos, qualem ſe præbuit amicũ, tales eos inueniet, gaudebunt veniſſe tempus quo vices reddant, deſeretur, ne dubita. Ne-mo illi non emptus adhærebit. Amedeũ ſa-pientem putauimus, qui multis annis fœlici-ter regnaſſet, non ſua credo prudẽtia, ſed alie-na miſeria fœlix fuit: decertãtes inter ſe hinc Itali, inde Galli quietam Sabaudiam red-diderũt, nos quod erat temporis attribuimus homini, fecit ſapientiæ ſuæ periculum Ame-deus, neque ſe paruo inuoluit negotio: in re omnium maxima peccauit. Ruent ſua con-

ſilia, Felicem vocant, ſed ſæpe rebus aduerſa ſunt nomina. De pecunia minus dubito, nunquam enim tanta eſt quantam prædicant, neque exponunt qui cumulant. Nihil eſt quod tam nobis proſit quàm pecunioſum aduerſariũ exiſtimari, cuncti ab eo aurum petent, neque impetrantes inimici abibunt. Hæc mihi de nouo electo ſententia eſt, qui aliter ſentiunt (meo quidem iudicio) nihil ſentiunt. Nec vana Iuliani opinio fuit. Carolus Franciæ Rex cũ aureorum triginta millium petiuiſſet, neque impetraſſet, Eugenium ei præpoſuit. Idem fecit dux Mediolani, qui centum millibus aureis & Bononiam vendere, & Nicolaum Picininũ cum nouẽ millibus equitũ in eius exercitu fruſtra tentaſſet adſcribere. Solebat Amedeus dicere, cùm aurum ab eo peteretur; pulcherrimam ſibi ſobolem eſſe, nolle ſe filios inopes relinquere. Cum manſiſſet per æſtatem, & quæ ſecuta eſt hiemem Baſileæ, nec pontificatum eius Chriſtiani Reges amplecterentur, ſequenti tandem vere in Sabaudiam rediјt, & paulo poſt concilium ex Baſilea ad ſe vocauit,

cùm patres edicto Imperatoris illinc deiice-rentur. Poſtremo cùm iam ſe omnibus con-temptui eſſe cerneret, nec ſpes vlla eſſet obe-dientiæ nanciſcendæ, mortuo iampridem Euge-nio, ac Nicolao quinto ſuffecto, interuẽtu Ca-roli Francorum Regis, pacem Eccleſiæ dare decreuit. Renunciauit Apoſtolatui, & Ni-colao reconciliatus, quem verum eſſe pontifi-cem profeſſus eſt, Cardinalatum ab eo accepit, & legationem quoad viueret Cardinalis Sa-binenſis appellatus, atque ita demum moriens apud Ripaliam ſepultus eſt. Fœlix & ſa-piens habitus niſi pontificatum affectaſſe in ſenio fama fuiſſet. Philippus Comes Ge-bennenſis prius obiit quàm pater pontifi-catui cederet, Ludouicus ſolus retinuit im-perium, vir manſuetus, & amans ocii, & qui parere quã imperare aptior eſſet: vxorẽ duxerat ex Cypro Annam regiã ſoro-rem audacem fœminam, quæ ſubeſſe neſciret. Hæc viri abuſa ingenio regimen ad ſe traxit, magiſtratus pro arbitrio inſtituit atque deſti-tuit. Sacerdotia quibus voluit impetrauit,

Cyprienſes in rerum culmine collocauit. Sobolem & pulchram procreauit & numeroſam. Carolam filiam Delphino, qui poſteà rex factus eſt, copulauit. Ludouicum ſecundo genitum, de quo ante diximus, in Cyprum miſit nepti viri datum; Amedeus primogenitus domi manſit, non ſatis corpore validus, quamuis ex domo Franciæ duxerit vxorem Caroli Regis filiam. Philippus ad Francorum curiam ſe tranſtulit: duo reliqui admodum pueri, viuente adhuc auo, ad Epiſcopatus eminētiam prouecti ſunt, & alter Eccleſiæ Tarantaſienſi præfectus, alter Gebennenſi, qui non diu vixit. Multæ in Sabaudia nouitates exortæ ſunt poſt Amedeì pontificatū, nobiles contra nobiles cōtenderunt: & Bolomerius, qui vnus erat ex conſultoribus acceptandi pontificatus in iudicium raptus, tanquā falſæ cuiuſdam ſententię fuiſſet auctor, ad necem damnatus eſt, & ingenti lapide ad collum ſuſpenſo in lacum pręcipitatus: ſub imperio fœmina cuncta per auaritiam adminiſtranda ſunt, & Gręculi pro ſua libidine Sabaudienſibus

baudienſibus inſultauere. Rediјt tandem Philippus ex Francia, atque ingreſſus palatium paulo poſt Carlotæ receſſum Græculos omnes eiecit: duos Sabaudienſes inter primos nobiles, qui erāt matri cariſſimi, & plurimùm poſſe videbantur, interfecit. Ioannē Varaſium ferro ſuâ ipſe manu necauit; Iacobum Valpergium in lacū præcipitauit. Quibus calamitatibus afflicta mater infœlix in morbum incidit, ex quo paulo poſt expirauit. Pater vel inuitus in lectulo languēs, vrgēte prouincialium conuentu, filio veniam dedit; cuius nutu in hanc vſque diem prouincia regitur: Frater maior minus idoneus regno videtur. Philippum cuncti ſequuntur, qui renouato fœdere cum Suizzaris omne iugum excuſſit, quod Rex Francus per Ludouici deſidiam, & muliebre regimen in Sabaudiam intulerat. His caſibus per noſtram ætatem Sabaudienſes acti ſunt, quos huic operi non iniuria duximus inſerendos.

LVDOVICVS.

LVDOVICVM filium & ſucceſſorem Amedeus habuit Geneuæ natum. Ea vrbs appoſita eſt lacui Lemano vnde Rhodanus profluit, atque à Cæſare in commentariis Allobrogum eſſe oppidum dicitur. Ex Anna Cypriorum Regis filia multos quidem liberos genuit, in iis Amedeum tantùm & Carolinā nomino, quam Ludouico poſtmodum Francorum Regi nuptum collocauit, cuius ſoror ipſi Amedeo nubit Philippo Burgundiæ, & Ludouico Sabaudiæ Ducibus, Pij II. id eſt Æneæ Pōtificatus amici veteriś acceptiſſimus fuit, vt Gobelinus vltimis verbis libri primi tradit. Plura quidem bella & varia fœliciter geſſit, præſertim aduerſus

Principem Mediolanenſium, quorum finis atque exitus fuit ſumma concordia; paxque inter eos procurante Carolo ſeptimo Galliæ Rege. Quod verò Marchionem à Palude in recordatione & memoria viuorum facit immortalem, donum ei Margaritæ Carniæ illuſtris fœminæ manu oblatum eſt, videlicet ſacra ſyndone vultũ & faciem Chriſti referens, cæteráſque corporis partes quantæ erant in xilina materia exhibẽs: quamquidem Cyprij Reges Hieroſolymis attulerant. Ludouicus verò Camberini inpoſterum id pignus eſſe voluit, vbi à vicinis populis, remotíſque gentibus quotannis menſe Maio conſpiciebatur, ſummáque relligione in Sabaudia colebatur: donec Carolus Emanuel Philiberti filius, qui ſyndonem propiùs habere optabat, Taurinũ eam deferri iuſſit, vbi nunc à ſubalpina gente, Italíſque populis colitur. Nec modò hoc pretioſum pignus Sabaudiæ Duces

habent, ſed magni etiam faciunt Diui Mauritij anulum , & quoties parens filio tranſmittit imperium, ad eum hic ſacer anulus mittitur, dono olim datus ab Abbate Diui Mauritij in finibus Chabuſionum Petro Sabaudiæ Comiti, eâ lege vt impoſterum accepti imperij ſignum eſſet. Denique ex podagræ doloribus fato functus eſt Lugduni ad confluentes Ararim & Rhodanum fluuios. Oſſuarium eius Geneua vt & natalis locus fuit anno milleſimo quadringenteſimo.

AMEDEVS OCTAVVS.

THONONII prope lacum Lemanum in lucem editus eſt AMEDEVS OCTAVVS Calen. Februarij anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto, qui poſteà in matrimonio habuit Iolantam Caroli ſeptimi Galliæ Regis filiam, & quidem primogenitam, déque eius & Amedei matrimonio agebatur anno milleſimo quadringẽteſimo triceſimo ſexto, cùm vix nati eſſent: ex ea plures liberos tulit, ac ſingularis quidem pietatis, iuriſque & æqui amantiſſimus fuit, tam humanus erga pauperes, & munificus, vt pauperum parens vulgò diceretur, quos venatorios canes ſuos ſolebat in priuatis colloquiis appellare, quibus cœleſtem apud Superos vitam promereri, & ve-

nari cuperet. Obiit Verſellis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & in templo Diui Euſebij ſepultus eſt. Iacobinus illius ætatis celebris Iuriſconſultus de Amedeo ſcribit in hunc modum. Genitus eſt hic Carolus ab illuſtriſſimo & Diuo Principe Domino Amedeo Sabaudiæ Duce qui maximis fulget miraculis, & ab illuſtriſſima & excellentiſſima Domina Dom. Yolant primogenita Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, quæ poſt mortem prælibati ſui coniugis tutrix fuit Illuſtriſſimi Domini D. Philiberti Sabaudiæ Ducis impuberis. Hactenus Iacobinus in Taurinenſi gymnaſio legum profeſſor de Amedeo, Philiberto, & Carolo Ioanne annotauit.

PHILIBERTVS PRIMVS.

CAMBERINI in Sabaudia naſcitur Philibertus anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Amedeum parentem, matrem Yolantam Ludouici vndecimi Francorum Regis ſororem. Carolus Dux Burgundię Heluetiis bellum gerebat, ac ne à Sabaudis deſereretur, in quorum gratiam arma ſumpſerat propter Iacobum qui Rotundi montis Dominus appellabatur, ex eáque familia erat, néue illa ad fratrem ſe reciperet, ipſam, filiosque eius capere optabat, & verò matrem vi capit, adducíque iubet in Rouerianam arcem prope Diuionũ in Heduis, cuſtodésque ei dat relictâ facultate adeundi & alloquẽdi eã ſiquis vellet, vt magis libera quàm alieni iu-

ris eſſe videretur. Filium eius natu maximum Philibertum tunc Sabaudiæ Ducem ereptum eo periculo domeſtici Camberinum in patriam adduxêre, in qua vrbe erat Geneuenſis Epiſcopus, qui non tam arbitrio ſuo quàm Rhodij cuiuſdam Equitis viuebat. Ludouicus per nuncios ſic egit cum vtroque, vt ei traderent & Ducem & fratrem eius Carolum Prothonotarij nomine tunc inſignem, vnà cum arce Camberina, Melianíque montis. Ipſe Epiſcopus arcem aliam cuſtodiebat, in qua pretioſiſſima quæque viduæ illius aſſeruabantur. Interim certiorem calamitatis ſuæ fratrem reddit, rogátque vt memor ſanguinis, immemor mutui & inueterati odij ſororem liberaret. Rex condonatis veteribus inimicitiis Carolum Ambaſianũ armata manu Rouerias mittit, atque vt imperatum erat in propinquum Regiæ ditionis oppidum eam adducit: deinde petenti Regi vt Turonem ad ſe veniret;

obſequitur, vbi honorificentiſſimè excepta eſt, dimiſſáque quamprimum voluit filij reſtituti, gemmæ & arces redditæ: immortalem tantùm amicitiam Rex ab ea pactus eſt, vt in eius vita Philippus Cominius vir nobilis & hiſtoricus narrat. Philibertus autem à Carolo Ludouici filio regia pompa ſuſceptus Lugduni in Romana veteri colonia cùm is nondum decimumquartum ætatis annum impleſſet, ſine liberis decedit, funeratusque eſt Altæcumbæ.

CAROLVS IOANNES.

CARINIANI oppido in ſubalpina regione poſito natus eſt CAROLVS IOANNES, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo. Adoleſcens vxorem duxit Blancham Guilielmi Marchionis Montisferrati filiam, ſuſcepitque ex ea Carolum Ioannem Amedeum. Cauſa cognita clientem Salaſſum beneficio quod feudum vocant priuauit, idque quamprimum fidem & obſequium ei præſtitit, humaniter redditum eſt. Niciæ maritimi oppidi arcem refecit, cinxítque muris ac turribus. Cum Carolo Francorum Rege de finibus Sabaudiæ tranſegit, eáque tranſactio ſumma concordia & pace facta eſt. De litteris & profeſſori-

bus earum optimè meritus forma egregia, & animi corporíſque dotibus inſignis. Obiit Pinarioli, eiuſdem ſubalpinæ regionis oppido, ad Padum flumen, vbi ſepultus eſt in æde Diui Franciſci, cùm annum ætatis viceſimum ſecundum nondum exceſſiſſet.

CAROLVS IOANNES AMEDEVS.

COMINIVS hiſtoricus refert Carolum octauum euntem in Italiam Taurini fuiſſe, vbi & Blancham viderit,& tenerrimæ ætatis filium eius tunc Sabaudiæ Ducem. Is eſt quem in ea vrbe natum Carolum Ioannem Amedeum coniunctis coaceruatiſque nominibus parentis ſui & veterum Amadeorum appellabant,accepitqueab ea commodato muliebrem mundum, & ſi quid precioſi habebat pignoriq; dedit nummulariis,vt in numerato darent ducatorum aureorum millia duodecim,vt idem autor narrat. Vidua autem illa admodum iuuenis viro ſuperſtes fuit, eximiaque pulchritudine corporis virtutum ſplendore eni-

tuit, atque vbi certior eſt facta filium ſuum Moncalerij amœniſſima vrbs ad Padum deceſſiſſe anno ætatis ſeptimo exanimatum, vt fama eſt, pręcipiti ſcabelli lapſu, ad dotales fundos nō multo poſt ſe recepit, conditus verò hic princeps fuit in æde Virginis quæ in illa vrbe excellit.

PHILIPPVS SECVNDVS.

EODEM hiſtorico in vita Caroli octaui referente diſcimus Breſſiæ Dominum qui poſtea Dux Sabaudiæ fuit vixiſſe apud Regem Carolum octauum in ſumma authoritate & gratia, quæ verba eius ad Philippum Ludouici Sabaudiæ Ducis filium referenda ſunt, patruum maiorē vtriuſque Caroli modò à nobis expoſiti. Biēnio tantum imperauit: Senio enim confectus & præter ſpem ad Ducis nomen honoremque peruenerat. Ex Marguarita Borbonia regiæ ſtirpis puella Philibertum filium atque hęredem ſuſcepit, & Aloiſiam Franciſci primi Gallorum Regis matrem: nam Carolum tertium ex Claudia Britonum genere ſecunda vxore habuit. Pacis & concordiæ ſtu-

dioſiſſimus fuit, publicæque tranquillitatis. Obiit vero Camberini anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octauo.

Digitized by Google

IOANNES PHILIBERTVS.

ARX Pontis Idani, qui fluuius in Rhodanum labitur, natalis locus fuit Ioannis Philiberti: ibi enim in lucem editus eſt. Philippo patri mortuo ſucceſſit, duxitque Margaretam Maximiliani Cæſaris filiam. Mox conſtitutus eſt à ſocero Vicarius Imperij, qui honos à Carolo quarto & retro Cæſaribus collatus maioribus ſuis fuerat, eoque nomine Geneuã ſibi ſubiicere fruſtra eſt conatus, vt & Carolus patereius, & ſuperiori ætate Amedeus ſeptimus, cũ anno milleſimo quadringẽteſimo viceſimo impetrauit à Martino Romano Põtifice, vt permutatione facta cum Epiſcopo Geneuæ ſummum ius in oppidanos haberet, id ne fieret à Ioanne tunc Epiſcopo ſtipulati ſunt, ne ipſe

ipſe, neue ſucceſſores eius alienationi & permutationi eiuſmodi quę in perniciẽ vrbis fieret, & publicam libertatẽ vllo vnquam modo conſentirent; ſin aliter facerent, proditores patrię cenſerentur. Quæ ſtipulatio contra bonos mores facta videtur. Ludouico duodecimo Francorum Regi Mediolanum expugnanti affuit, redeuntemque in Galliam Gratianopolim vſque comitatus eſt. Leges plurimas veteribus addidit, & obſcuras, ambiguaſque maiorũ ſuorum conſtitutiones à prudentibus interpretari iuſſit; Sabaudia enim iure ſcripto vtitur, & principum ſuorum conſtitutionibus. Corporis verò elegantia vſque adeo excelluit vt Pulchri cognomen ſit adeptus. Cùm viceſimum ętatis annum ageret, cõtracta ex venatu pleuritide mortalibus funeſta, obiit eo in cubiculo in quo natus fuerat, ſepultuſque eſt in æde Brouiana, quã ſuperſtes vxor mirabili opere ædificari iuſſit prope

Burgum Sebuſianorum ſeu Breſſię oppidum, ſcilicet in eo Templo inter duas margaritas ſiue gemmas vir eius conderetur, quarum altera eſſet Borbonia mater, altera Auſtrici ſanguinis Margarita.

Digitized by Google

CAROLVS TERTIVS.

CAROLI tertij Philibertus frater, philippus genitor fuit: in Chazei arce iuxta Idanum amnem naſcitur anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto. Emanuel Rex Luſitaniæ Beatricem filiã reliquerat, quam in matrimonio Carolus habuit, conſentiente Ioanne fratre nuptias fieri. Exortis poſtea grauiſſimis bellis inter Franciſcum Regem Francorum, cuius auunculus erat, & Carolum quintum Cæſarem, accidit vt Breſſiæ Sabaudiæq; vniuerſæ & ſubalpini agri finibus exueretur. Qua etiam tempeſtate Bernenſes, Valeſiique qui Veragri veteribus fuere præfecturas ei aliquot confines, vt Yuianum, Monteium, Hochtalium, ademerunt: imme-

mores, vt videtur, veteris beneficij. Nã cùm à Kiburgenſi Comite olim nimiũ vexarentur, protectorem elegerũt Sabaudiæ Dominum, qui hoſtilem impetum ſtatim repreſſit, & pace facta vrbẽ penè naſcentem mœnibus cinxit, exorto poſtea bello inter Sabaudiam & vicinę Burgundię Duces Bernenſium opera in eo bello vſa eſt tam fideli, tamque forti, vt priſtinam petẽtibus libertatem conceſſerint qui Sabaudiæ imperabãt. Hactenus ex Ioſia Simlero narratũ eſt. Exuitur per hunc modũ omnibus fortunis Carolus, ac ſolæ propemodũ Nicia, Auguſta Prætoria & Vercellæ integræ ei remãſerunt, ne ludibrium fortunę videretur; eam enim eiuſq; impetus ad ſenectutem vſque magno animo tulit, deceſſitque Vercellis, & in Templo Diui Euſebij conditus eſt anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio.

EMANVEL PHILIBERTVS.

RELIQVIT Carolus cognomento Bonus filium Emanuelẽ philibertũ ex Beatrice Emanuelis, vt iam dixi, Luſitanię Regis filia, quę vt forma corporis præſtãtiſſima fuit, ita animo & ingenio excellẽs altos per ſe ſe ſpirit⁹ gerebat: quod enim vellet quodq; iuſſiſſet id verò fieri neceſſe erat. Hęc inimica Gallici nominis cauſam dedit Franciſco vt primos belli impetus in Sabaudia exerceret, Carolumque vrbibus atque oppidis ditionis ſuæ ſpoliaret. Natus verò eſt octauo Idus Iulij anno milleſimo quingẽteſimo viceſimo octauo, in vrbe Sabaudię notiſſima, cui Camberino nomen, tenui admodum ſpe vitæ, & pro mortuo habitus: aliquot enim horas abſque vllo ſpiritu fuerat, remanſitque cruribus & tibiis imbecillimis ad

annum ætatis tertium,ac ferè claudica-
bat, pluresque annos monachali veſte
indutum mater eum aluit:cumque illa
tunc liberos plures haberet qui ſunt an-
te pubertatem mortui,deſtinarat Phili-
bertum Eccleſiaſtico ordini,vtque ipſe
ſępè retulit Carolo. Clemens ſeptimus
cùm Bononiæ eſſet pollicitus eſt pur-
pureum habitum filio,nomenque Car-
dinalis, quare ſui eum Cardinalē appel-
lare cœperunt. Pueritiam tranſegit par-
tim Taurini,partim Niciæ, vbi cùm to-
tos ſeptem annos fuiſſet inde diſceſſit
quinto die antequam naualis Turcarũ
exercitus eam diripuiſſet : quod accidit
anno milleſimo quingenteſimo qua-
drageſimo tertio. Poſtea ad Carolum
quintum Cæſarem auunculum ſuum ſe
recepit,chariſſimuſque illi & Philippo
Hiſpaniæ Principi conſobrino fuit, à
quibus diuerſos honores muneraq; ac-
cepit:ille enim in Germania aduerſus
Lutheranos,& in Italia omnibus ferè

bellis Philiberti opera vs⁹ eſt. Hic in Belgica vbi anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo præfuit exercitui aduerſus Gallos, eoſdemque in Veromanduis peruigiliis Diui Laurentij martyris vicit, Anna Memorantio magiſtro equitum capto: quam victoriam fato quodã accidiſſe ipſe narrabat potiùs quàm virtute copiarum ſuarum. nam ſi quot equites totidem armatas fœminas habuiſſet, eundem futurum belli exitum dicebat. neque enim eis aliud faciendum fuit quàm fugientes occidere & captiuos facere, adeò conſternati erant illa die pugnaces Gallorũ animi irato ipſis Deo. Hæc victoria mutuam populis pacem Philippo Regi Hiſpaniç, ſibíque vxores dedit, illi Eliſabetam filiam Henrici II. Galliæ regis, huic Margaritam ſororem, quç prudens, docta, pia, humana & liberalis admodum fuit, maximè in pauperes & ſubditos ſuos. Quibus nuptiis quæ ere-

pta Carolo patri fuerant omnia ſunt reſtituta. Hactenus ex relatione Bertuzzii Vaberi, quã domum reuerſus in Senatu Veneto fecit cùm apud Philibertum legatus illius Reipub. fuiſſet. Cuius ſunt etiam illa quæ ſequuntur, eundem Principem ſtatura fuiſſe media, ac potiùs exigua quàm procera, aſpectu nobili & grato, habitu corporis firmo & ſano, niſi quod interdum catharrum patiebatur, quia vino Hiſpanico vti quotidie ei in vſu fuit. Pedes multùm ambulare & ludere ſex horas continuas ſolebat, nec tamẽ niſi raro admodum ſudare, & fluuios ad natandum appetere. Quod attinet ad dotes animi, relligionis & pietatis amantiſſimum, iuſtitiæque & clementiæ cuſtodem fuiſſe refert, qui facilè ignoſceret reis, & criminum veniam ſupplicibus daret: quod ne faceret Senatus Sabaudienſis ſæpe illum rogauit: ſcelera enim impunitate & veniâ ali. Pauciſſimis autem verbis reſponſa da-

bat,tùm præcipuè cùm repentina atque improuiſa negotia occurriſſent, quæ ſi faſtidioſa eſſent ei vt plurimùm diſplicebant, contraria voluptati erant, & libenter de bello,de arcibus,deque nauali apparatu & loquebatur ipſe, & loquentes audiebat. Placebant ei artes Mathematicæ, quibus operam dabat, quin mechanicas & earum artifices ita probabat, vt ferrum vnà cum illis plerumque tractaret. In cubiculo autem ſiue hyeme, ſiue ęſtate nudo capite vtplurimùm erat, ac ferè maritima loca vel aquis irrigua appetebat. Munitiſſimas arces vel reficere vel ędificare ingenti ſumptu & machinis æneis inſtruere locis maximè idoneis ſolebat: quódque admirabilius æſtimabitur à poſteris, rerum ſuarum commentarios inſtar Cæſaris quotidie manu ſua ſcribebat. Hæc Bertuzzius. Genuit verò ex Margarita Carolum Emanuelem qui nunc fœliciſſimè Sabaudis imperat:

porrò ambo deceſſerunt Taurini pari propemodum annorum numero. illa enim annum 1552. attigerat, hic vnum & quinquaginta & aliquid excurrens: ac ſupremis tabulis cadauer ſuum Altæcumbæ humari iuſſit, cuius monaſterij in pueritia Abbas fuerat.

CAROLVS EMANVEL.

TV verò, CAROLE EMANVEL, in agro Taurino, & in amœniſſima apud Riuolium arce natus es, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, & antequam pubertatem attigiſſes, & Latinè loqui didiceras (quod in Principe his temporibus maximum eſt) & Gallici, Hiſpanicíque ſermonis delicias planè noueras. Pubes autem Mathematicarũ artium receſſus atque abdita penetraſti, quæ & oblectationis & vtilitatis plurimùm Principibus viris afferre ſolent. Venationi & aucupio deditus etiã fuiſti, & in equo eſſe ſumma tibi voluptas fuit. Deinde paternum imperiũ adeptus es adoleſcens ad clemẽtiã & humanitatẽ propenſiſſime. Quæ ſunt Principum

maximæ dotes, ſi iis liberalitatem adiunxero. Poſcebat ætas illa vxorem, eam tibi Philippus Rex Hiſpaniæ apud Barcinonem maritimam vrbem dedit. Nomen illi Catharina, idem maternæ auiæ quam adhuc in Gallia cernimus. Tu id pignus pretioſiſſimum de maximi Regis manu accepiſti, ex qua proles iam tibi nata eſt. Quid reſtat, niſi vt ſubditi & clientes veſtri, quod pro viribus eniteris, ſumma pace & concordia perfruantur? & funeſta, funeſta inquam bella oderint, quibus Galliæ regnum dilacerari & concuti videmus?

Digitized by Google